I CONC. NAZ
PROV. DIOC.
162
B
31.
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUL
162
B
31
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSTITVTIONES, ET DECRETA
DIOECESANÆ SYNODI COMPSANÆ IN MAIORI ECCLESIA TERRÆ CAPITIS SILERIS
EIVSDEM DIOECESIS

Celebratæ die octaua Septembris MDCXLVII.

In feſtiuitate Natiuitatis Beatiſs. VIRG. MARIAE.

AB ILLVSTRISS. AC REV.[mo] DOMINO

HERCVLE DE RANGONIBVS

ARCHIEPISCOPO COMPSANO, &c.

108 D 11



ROMAE, Typis Ludouici Grignani, MDCXLIX.

Superiorum permiſſu.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſs. D.S.P.A. Mag.

A. Riualdus Viceſg.

Imprimatur, Fr. Hyacinthus Pandulphus Reuerendiſs. P.S.A. P. Mag. Socius.

Digitized by Google

HERCVLES DE RANGONIBVS

Mutineñ, Dei,& Apoſtolicæ Sedis Gratia Archiepiſcopus Compſanus.

Vniuerſo Clero, & Populo Nobis commiſſo ſalutem in Dño.

HVMANI Generis ex lapſu primorum Parentum ſauciati, & in radice vitiati, eſt ea conditio, vt niſi regulis, & legibus gubernetur, à recto viuẽdi tramite facilè aberret, de malis in mala præceps incidat, & in illis inuoluatur, hoc ſalutari medio, infinita Dei prouidentia electo Populo ſuo per Veterem Legem conſuluit, ad fulciendam Catholicã Eccleſiam, ſacri Apoſtolorũ Canones in Lege Noua, Summorumq. Pontificum ſanctiones emanarunt, & per ſacroſanctum Concilium Tridentinum Spiritu ſancto dictante, ſtatutum eſt, vt ab Ordinarijs locorum, Synodi Diœceſanæ quotannis celebrentur, pro moderandis Populorum moribus, corrigendis exceſſibus, & cultu Dominici Agri, cultorum deſidia ſæpè defloreſcente ſuſtinendo, quod in hac Metropolitana Eccleſia cum per annos plurimos ex legitimis Anteceſſorum Noſtrorũ impedimentis præſtitum nunquam fuerit, & multi propterea irrepſerint abuſus, ordinationes verò quas recolendæ

memoriæ D. Scipio Geſualdus prædeceſſor ſingulari pietate, ſummaq. diligentia collectas de Anno 1597. edixerat, ex tẽporis diuturnitate paucis admodum notæ ſint, vel deſuetudine in multis etiã remaneant abrogatæ, plures poſteà Conſtit. Apoſt. fuerint editæ; multa quoque pro Dei, & Eccleſiarũ præſtantiori honore, Animarumq. auxilio decreuerint ſacræ Congreg. quæ pluribus in hac Diœceſi adhuc ſunt occulta; præfata omnia, cõmunia omnibus facere cupientes, & muneri Nobis impoſito pro viribus, licet imparibus, ſatisfacere volentes, vt primum abſoluta fuit Viſitatio ad agnoſcendũ pecoris Noſtri vultũ per Nos in tota Diœceſi habita, Synodum Diœceſanã ſtatim collegimus, & has Conſtitut. promulgauimus, quas vobis exhibemus, rogamus autem, & in Domino enixè obſecramus omnes, vt hilari, ac libenti animo illas recipiatis, & quo maximè poteſtis ſtudio, inuiolatè obſeruetis, non metu pœnarũ ducti: ſed virtutis Amore, ac vera caritate erga Deum, & Animas veſtras, pro quarum curatione principaliter ſunt exaratæ, vt in labore noſtro ex operibus veſtris gloriari Nobis cõtingat, & poſt breuẽ huius æui curriculum (Diuina ſuffragante miſericordia) in Cæleſti Patria vobiſcum ſempiterna Gloria perfruamur, quod ipſe præſtare dignetur, qui viuit, & regnat in ſæcula.

De

De Conſtitutionibus Synodalibus.
Caput I.

QVIA ſuperioris eſt diſcernere, ſubditorũ autem obedire, idcircò Cõſtitutiones has noſtras Synodales interpretandi, declarandi, & ſuper illis diſpenſandi, quoties occaſio contigerit, Nobis, vel Vicario Noſtro Generali tantum, facultatem reſeruamus, illas in ſuo robore tamdiù permanere decernentes, donec per ſanctam Sedẽ Apoſtolicam non fuerint reprobatæ, Cui Nos ipſos, omniaque, & ſingula hic conſtituta humiliter admodum, & deuotiſſimè ſubijcimus.

CAP. II.

ET quamuis Conſtitutiones à Prædeceſſoribus Noſtris editas in hoc libro contextas omnes eſſe credimus, ſi quid tamen ex eis fuit omiſſum, ne illarum pœnæ, ac cenſuræ ipſis appoſitæ iniuria temporum ignoratæ, cuipiam nocere poſſint, vt Animarum quieti conſulamus, illas omninò abrogamus, & abolemus, quæcunque tamen in his Decretis comprehenſa non erunt, & à ſacris Canonibus, Apoſtolicis ſanctionibus, vel à Generalibus Con-

Digitized by Google

Concilijs, præſertim à ſacroſancta Tridentina Synodo definita ſunt, ſeruari diſtrictè mandamus.

CAP. III.

VT autem nemo ſit, quem muneris ſui partes præterfugiant, Conſtitutiones has noſtras Synodales apud omnes Iuriſdictioni noſtræ ſubiectos, & præcipuè in ſacris ordinibus conſtitutos eſſe volumus, & quoniam promptitudinem in ipſarum noſtrarum legum obſeruatione, omnes exhibituros in Domino confidimus, paucas propterea, vel minimas ſingulis Decretis pœnas adiunximus, plenariam Nobis de cætero facultatem reſeruantes, illas arbitrio noſtro, augendi, & minuendi, prout Caſuum, & Perſonarum ratio, ſecundum Iuris, & Canonum diſpoſitionem iuſta, & neceſſaria videbitur.

De Fidei Profeſsione. Caput I.

ECcleſiæ antiquum morem, & Patrum exempla ſequentes, fidei profeſſionē iuxta formam à Pio Quarto Summo Pontifice præſcriptam, quam Nos in huius Synodi initio iurando præſtitimus, & profeſſi ſumus, & ſicut in præſenti duximus eſſe faciendam, ſic etiam in alijs in poſterum Synodis celebrandis, ſemper præmittendam eſſe decernimus, cuius formula hæc eſt.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quò ſancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet.

CREDO in vnum Deum Patrem omnipotentē factorē Cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium; & in vnum

vnum Dominum Ieſum Chriſtum Filium Dei Vnigenitũ, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta sũt; Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis. Et Incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas. Et aſcendit in Cælum ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicã Eccleſiam. Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector.

Item ſacram Scripturam iuxta eum ſenſum quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum admitto, nec eam vnquam, niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta nouæ Legis à Ieſu Chriſto Domino Noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis, neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio

legio

legio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo, verum, propriũ, & propitiatorium ſacrificium pro viuis, & defunctis, atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, & realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem, vna cum anima, & Diuinitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti. Fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ Vini in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtũ, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter, & Sanctos vnà cum Chriſto regnantes, venerandos, atque inuocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas. Firmiſſimè aſſero Imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam, Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac iuro. Cætera item omnia à ſacris Canonibus, & œcumenicis Concilijs, ac præcipuè à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio,

atque

atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc verò Catholicam fidem, & extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inuiolatam vſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſimè (Deo adiuuãte) retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro. Sic mè Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

CAP. II.

OMnes autem, qui de Beneficijs quibuſcunque animarum curam habentibus prouiſi fuerint, à die adeptæ poſſeſſionis infra duos menſes in manibus noſtris, vel noſtri Generalis Vicarij ad præſcriptam fidei profeſſionem ex Tridentini ſacri Concilij Decreto, atque eadem Pij IV. Conſtitutione præſtandam, ſe teneri non ignorẽt. Prout etiam alij, qui Canonicatus, vel Dignitates in Eccleſia noſtra Metropolitana quocunque nomine, vel titulo obtinuerint, non ſolum coram Nobis, ſeù noſtro Vicario hoc ipſum intra prædictum tempus præſtare debent. Sed etiam coram Capitulo alioquin prædictos omnes vt ſupra prouiſos, fructus non facere ſuos, ſed ad reſtitutionem illorum obligatos eſſe, poſſeſſione pacifica, eis nequaquam ſuffragante, meminerint.

CAP. III.

COncionatores etiam quicunque antequam ad Diuini Verbi prædicationem accedant, niſi eadem occaſione corã Nobis, aut noſtris Prædeceſſoribus alias pro-

feſſi fuerint, hanc ipſam emittant profeſſionem. Item omnes,qui artes liberales,aut aliquam ſcientiam docendi munus aſſumunt, Medicinam demùm, & Chirugiam, qui erunt in Diœceſi exercentes, non ſolum Fidei profeſſionē præſtare teneantur,ſed coram Archipreſbyteris locorum iurent etiam ſe Bullam Pij V. incipientem: *Super gregem Dominicum, &c.* de inducendis infirmis ad confeſſionem, obſeruaturos, & Catholicæ fidei puritati contrarias curationes ægris non eſſe exhibituros, ille etenim verè credit, qui exercet operando, quod credit: Actorum verò Magiſter Curiæ noſtræ Archiepiſcopalis librum conficiat, in quo profitentium, & iurantium nomina, cum die, menſe, & anno referat, & in Archiuio eiuſdem noſtræ Curiæ liber ad perpetuam rei memoriam aſſeruetur.

De Hæreticis, & Maleficia, & Incantationes, vel Diuinationes, & Superſtitiones exercentibus. Caput I.

Parochi diligenter animaduertant,& peruigilent, an intrà ſuæ Parochiæ fines reperiatur aliquis hæreticus, vel de hæreſi ſuſpectus, vel qui maleficia, incantationes, ſortilegia, diuinationes, aut ſuperſtitiones exerceat, vel qui à fide Catholica quouis modo aberret,quod ſi tales (quod abſit) adeſſe compererint, eos quam primum Nobis, ſeu Vicario noſtro Generali denuncient, ad quam denunciationem pariter omnes, & ſingulos vtriuſque ſexus fideles,ſiue Laicos, ſiue Clericos ita ſe obligatos eſſe intelligant, vt ſi denunciare recuſauerint, vel ſcienter neglexerint, ſententiam excommunicationis incurrere pro certo habeant.

CAP.

CAP. II.

ET ad aperiendum ipſis Parochis viam Inquiſitionis & æmulatoribus honoris Dei demonſtrandos caſus, in quibus denunciationi faciendæ, ſint obligati, ſuſpectos de fide Catholica inter alios cenſeri aduertant, Qui Hæreticos ſcienter recipiunt, vel cum eis amicitiam fouent. Qui blaſphemias hæreticales, aut verba, quæ ſapiant hæreſim protulerint, qui ſacræ Scripturæ loca contra ſenſum Eccleſiæ contorquent, vel obſcœnis, & turpibus rebus accomodant; Qui ſacras Imagines deturpant, vel conſpuunt. Qui cibos vetitos diebus, aut temporibus à iure prohibitis ſine legitima cauſa, & ſine licentia comedunt, aut alijs comedere ſuadent. Qui veneficia, incantationes, ſortilegia, & alias magicas artes cum expreſſa, vel tacita dæmonum inuocatione, aut pacto, vel ſacrorum abuſu exercent. Qui plures vxores, vel maritos reſpectiuè doloſè duxerint primo matrimonio non ſoluto, qui hæreticorum libros domi retinent, & legunt, qui ſacram ſemel in Anno Euchariſtiam ſumere, peccataque ſua confiteri diſtulerint. Qui Miſſas Dominicis, & alijs feſtiuis diebus audire non conſueuerint, qui Cedulones excommunicationis, quibus aliqui declarantur excommunicati deturpant, qui hæreticæ prauitatis Inquiſitores in eorum Officio impediunt, eorumque complices, & fautores; Sacerdotes tandem qui mulieres in confeſſionis actu turpiter ſollecitare auſi fuerint, denunciantes verò ſibi perſuadeant, ipſorum nomina, niſi ſacrorum Canonum diſpoſitione cogente, nullo nunquam tempore publicanda fore.

CAP. III.

SOlicitè perquirant etiam Parochi, & Nobis, aut noſtro Vicario Generali referant omnes, qui profiten-

tur ſe ſe ex terra, aere, aqua, igne, ſortibus, ſomnijs corporis lineamentis, & alijs huiuſmodi, pura contingentia, & à libera hominum voluntate pendentia poſſe prædicere, morbos arcanis quibuſdam à medicinæ ſcientia prorſus alienis depellere, furto ſubtracta indicare, theſauros abſconditos demonſtrare, ea quæ alibi fiunt quaſi oculis cernant referre, maximè autem illos, qui ſacra Euchariſtia, vel alijs Sacramentalibus, ad huiuſmodi ſacrilegia, impiè abutuntur, eos autem qui huiuſmodi diuinatores, & ſortilegos conſuluerint, vel vt conſulerentur Auctores fuerint, vel illis fidem adhibuerint, acriter obiurgent, & auertere ab eiuſmodi ſenſu conentur.

Viri etiam illi, ſiue mulieres, qui verbis quibuſdam potius iocoſis, & ſcurrilibus, quam pijs cogitant, ac profitentur ſe tempeſtates poſſe repellere, imbres incitare, aues, ac alia animalia damnificantia à ſegetibus arcere, redarguantur, & ſi incorrigibiles permanſerint, Nobis pariter denuncientur.

Denique curent Parochi, vt libri omnes, & ſcripta, quibus huiuſmodi ſacrilegia, veneficia, auguria, auſpicia, incantationes magicæ artis, & Diuinationes cuiuſuis ſint generis documenta continentur, & edocentur, Nec non ij etiam qui ſunt Aſtrologiæ Iudiciariæ, quam primum ad manus noſtras deferantur, exceptis, tamen illis Aſtrologiæ libris, qui nauigationis, agriculturæ, medicæuè artis iuuandæ gratia conſcripti ſunt.

Quo in genere videant omnes Parochi, & Confeſſarij, vt non ſolum huiuſce perniciei radices extirpare diligentius ſtudeant, ſed etiam ſemina, è, rudium animis radicitus euellant; Orationibus propterea, philacterijs, ſeù breuibus ſcriptis, nominibus, ſignis, ad alicuius mali, vel morbi curationem, aut præſeruationem, niſi cognitis, & probatis, neminem vti permittant, idque longè grauius

ve-

vetitum ſit in iis ſcriptis, quæ in membrana quam dicunt, Virgine, aut à puella incorrupta, aut alia quauis loci temporis, rei, vel perſonæ vanà obſeruatione adhibita litteris exarata ſunt.

Imagines item, anuli, ſigna, ac quæuis alia id generis caracteribus, & nominibus alienis litteris incognitis, vel notis ſuperſtitionis ſpeciem præſeferentibus impreſſa, inſignitavè omninò prohibeantur. Pium verò, & Religioſum ſanctæ Crucis, & piarum Imaginum vſum omni abiecta inani obſeruatione, vt ſummoperè commendamus, ita ab omnibus retineri mandamus.

Et quoniam pro hominum, & locorum varietate multiplicia, variaque ſuperſtitionum genera deprehendere, ac certam earum ſingularum formam ſcribere propè infinitum opus eſſet; vt de illis ſummatim ſtatuatur, Omnia, in quibus ſtata temporum, dierum, horarum præfixi numeri, & loci obſeruatio, cum anxia quadam corporis, & habitus compoſitione, quam præterire nefas putetur, concurrit, ea tanquam ſuperſtitioſa, vana, & à ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ ritu, vſu, & traditionibus aliena: Diligenti Confeſſariorum, Prædicatorum, & Parochorum cura, officioque extirpanda præcipimus, cum per illa ſeſe diabolica ſocietas, quæ omni pietatis ſtudio fugienda eſt, ac depellenda ſenſum inſinuet, & Diuini cultus error fraudulenter hiſce rebus, boni ſpecie velatis, cum magno animarum exitio inducatur.

CAP. IV.

CVm autem plurimum expediat, vt ab omnibus ſupradicta decreta intelligantur, & neminem lateant, bis ſaltem in Anno ſolemnioribus diebus vulgari lingua populo alta voce inter Miſſarum ſolemnia publicari volumus, & mandamus.

De

De libris prohibitis. Caput vnicum.

PRohibitorum librorum lectio cum perpetua quodammodo peſtis ſit, quæ fidelium mentes, & mores non minus, ac ipſorum hæreticorum conuerſatio corrumpit, licet ſub excommunicationis vinculo reſpectu multorum librorum ſit interdicta, præcipuò tamen eorum, qui curam exercent animarum, & confeſſiones audiunt ſtudio etiam tollenda eſt. Habeant igitur Indicem librorum prohibitorum, & pœnitentes de pœnis in eo contentis admonitos, de libris, quos apud ſe detineant, & legant interrogare nõ deſiſtant. Si quos verò prohibitos libros habere, aut legere cognouerint, ſtatim ad Nos deferant eos libros, Et qui neglexerint ſuſpenſionis pœnam incurrant. Nullus etiam libellos quoſcunque impreſſos, Orationes, Litanias, Annales diſcurſus circa temporum mutationes, quos lunaria vocant, aut aliud quodcunque typis nouiter excuſſum ad vendendum circumferre, aut exponere audeat; quod priùs à Nobis, vel à Generali Vicario noſtro approbatum non fuerit, ſub excõmunicationis, & alijs arbitrio noſtro pœnis irrogandis.

De Blaſphemia, & maledictionibus. Caput I.

BLaſphemiæ impudentia, & impietas, honori Dei, & fidei confeſſioni contraria, vt quam diligentiſſimè fieri poteſt, à noſtra Diœceſi tollatur, Parochi omnes criminis grauitatem ſæpè, ac ſæpiùs in eorum Eccleſijs annuncient, & Societatem Sanctiſſimi Nominis Dei quam primum inſtituant, in qua Confra-

fratres præſcriptis eiſdem regulis à Nobis examinandis, & probandis, ad Maieſtatis Diuinæ honorem, & gloriam omni diligentia ſtudeant, ne inter eos, vel coram eis, aliquis temerè iuret, aut blaſphemet, iurantes, & blaſphemantes caritatiuè admoneant. Sanctumque, ac terribile Nomen Dei, & Sanctorum ſuorum, præcipuè autem Beatiſſimæ Virginis venerari, periuria, & blaſphemias vitare, & horreſcere diſcant, & aſſueſcant: Indulgentias à Summis Pontificibus Pio IV. Pio V. & Gregorio XIII. hiſce Confraternitatibus conceſſas, Cæleſti gratia, conſecuturi.

CAP. II.

Cura ſit etiam Dominorum, Patrumque familias, ſibi ſubditos ita compeſcere, vt in blaſphemiæ crimen nunquam incidant, eos ſæpè admonendo, & cum opus fuerit corrigendo, ſi quos verò miniſtros, aut famulos dictis ſuis nullatenus obedientes habuerint, corripiant, & ſi opus fuerit non reſipiſcentes, etiam è domibus ſuis expellant.

CAP. III.

Et deteſtabili huic vitio metu quoque pœnarum occurrere volentes, contra eos, qui in Deum, aut Beatiſſimam Virginem, & cæteros Sanctos blaſphemias, quæ ſapiunt hæreſim protulerint, tanquam de fide ſuſpectos procedi ſtatuimus: Alios verò qui ignominioſa, & turpia verba in eoſdem non tamen hæreticæ prauitatis labe aſperſa, vel calore iracundiæ, vel praua conſuetudine eructauerint, pecuniarijs, corporalibus, & alijs pœnis contentis in Cóſtitutione Pij ſanctæ memoriæ Papæ V. anno 1566. Kal. Aprilis edita, quæ incipit: *Cum primum*, grauiter puniri decernimus.

CAP.

CAP. IV.

CReaturarum etiam maledictioni conſulant Confeſſarij grauioribus pœnitentijs illos plectendo, quos recidiuos ſæpiùs compererint, & ipſos præcipuè interrogent: An maledictionis verba proferentes, intentionem habeant eas maledicendi, prout ſunt creaturæ Dei, vt blaſphemiam, & peccatum mortale tunc eſſe aduertant, & cognoſcant.

De Prædicatione Verbi Dei.

QVod antiquæ legis Sacerdoti præceptum fuit, vt ingrediens ſanctuarium tintinabulis veſtis eius ambiretur, ne ſuperni Inſpectoris iudicium, abſque prædicationis ſonitu incedens, ex ſilentio offenderet, & quod à Sacroſancta Synodo Tridentina ſtatutum eſt, Archipresbyteri omnes noſtræ Diœceſis, & alij animarum curam habentes omninò præſtent, ſingulis igitur ſaltem Dominicis diebus, & feſtis ſolemnibus inter Miſſarum ſolemnia, Populos ſibi commiſſos pro ſua, & eorum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem; Ad Sacramenta neceſſaria crebrò, piè, ac religioſè percipienda illos hortentur, virtutem, & effectus Sacramentorũ explicent, & cum breuitate, & facilitate ſermonis annũtient, vitia quæ eos declinare, & virtutes quas ſectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & Cæleſtem gloriam conſequi valeant.

Et ſi aliquis Parochus legitimè ſit impeditus, vel ad id ſe minimè idoneum agnoſcat, Coadiutorem, in eo munere adhibeat, vel ad faciliorem methodum ſe accomodet, vitam Sancti de quo feſtum fiat, vel è probato libro,

ali-

aliquid recitet, quò Audientium animi ad amorem Dei, & proximi dilectionem incitentur, qui hæc adimplere contempſerint noſtræ animaduerſionis rigorem non euaſuros certò ſciant.

CAP. II.

CVrati autem omnes Eccleſiarum, & locorum Vicarij Foraneij, abſque noſtra, vel noſtri Vicarij Generalis approbatione, ac licentia neminem ad prædicandum admittant Regulares cuiuſcunque Ordinis, niſi à ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia, examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum prædicare non audeant, & licentia obtenta perſonaliter ſe coram Nobis præſentare, & benedictionem priuſquam prædicare incipiant accipere teneantur; in Eccleſijs verò, quæ ſui Ordinis non ſunt, vltrà licentiam ſuorum Superiorum, non priùs illis prædicare ſit permiſſum, quam à Nobis quoque, vel à Vicario noſtro Generali licentiam, & facultatem habuerint, iuxta formam à ſacro Concilio Tridentino, & fel. record. Gregorij Papæ XV. Conſtitutione, quæ incipit, *Inſcrutabili, &c.* præſcriptam; nullus autem Secularis, ſiue Regularis etiam in Eccleſijs ſuorum Ordinum Nobis contradicentibus, vt ex decreto Concilij Tridentini cauetur, prædicare audeat, & quemadmodum omnes Diuini Verbi Prædicatores antequam prædicare inceperint, ſe coram Nobis præſentare, & Noſtram benedictionem accipere iubentur, ita peracto Quadrageſimali prædicationis curſu, iterum ad Nos accedere non grauentur, quaſi ſuæ villicationis rationem reddituri, & vt Nos etiam de ijs rebus certiores faciant, quæ illis emendatione, & correctione digna eſſe viſa fuerint.

CAP. III.

NIhil quod ab Eccleſia Romana, vel à Doctoribus ab ea probatis alienum ſit, Prædicatores proferant.

Hæreticorum ſententias, & argumenta, niſi neceſſitas vrgeat non referant, ſed leuiter attingant, & clarè confutent.

Hiſtorias ex apochryphis Scriptoribus non recenſeant, & miracula non approbata nunquam Populo annuncient.

Quæſtionibus inutilibus, aut fabuloſis ſermonibus audientium animos ne occupent.

Si de Conceptione Beatiſſimæ Virginis concio, aut ſermo haberi contingat, Conſtitutionem fel. record. Gregorij XV. omninò ſeruent.

Vitia generaliter reprehendant, nec in aliquem nominatim, aut tacitè illum deſignantes inuehantur.

Magiſtratus Eccleſiaſticos, & ſæculares publicè de erratis, aut vitijs nō redarguant, ſed priuatim potiùs moneant, ne illos quibus ſubiacendum eſſe Apoſtolus docuit, Populo vel odibiles, vel contemptibiles reddant.

Indulgentias nullas publicent, niſi facultate priùs à Nobis habita.

Neminem paupertatis nomine commendent, cuius à Nobis, aut Noſtro Vicario Generali, ſeù ab Eccleſiæ Parocho teſtimonium ſcriptum non habuerint.

Conciones nocturno tempore etiam de ſalutifera Paſſione Domini Noſtri Saluatoris in Feria Quinta, vel Sexta maioris hebdomadæ nunquam habeantur.

Et de præmiſſis, ac potiſſimum de vitijs, quæ in ſua Parochia vigeant, & ad quæ homines cuiuſcunque loci magis ſint proni, Curati locorum præmoneant Concionatores, vt quid magis, vel minus pro loci, & populorum qualitate ſit eorum plebi annunciandum, cognoſcant.

CAP.

CAP. IV.

OMnes verò Noſtro ſpirituali Regimini cōmiſſos hortamur, & paterno monemus affectu, vt dum ſacra Concio habetur, Cæleſtia terrenis præferentes, ad audiēdum Verbum Domini deuotè conueniant, vt præceptis ſacrorum Conciliorum obediant, nec erga mundi curas, ſiue temporalia lucra magis affectos, quam ſpiritualis alimoniæ, & ſalutis ſtudioſos ſe eſſe probent; nam ſicut eſurire corporalis ſanitatis inditium, ita & ſtudio magno audire Diuina eloquia bonæ animi valetudinis certiſſimum eſt argumentum; quod ſi quis Sacerdos, & Clericus ad audiendam prædicationem abſque legitima cauſa à Nobis, & Vicarijs foraneis approbanda in eorum Eccleſijs intereſſe neglexerint, grauioribus arbitrio noſtro pœnis afficientur. Vbi autem cōmodè fieri poterit, loca virorum, & mulierum diſtinguantur, & tela, vel aliquo alio impedimento illorum aſpectus inter ſe prohibeatur.

CAP. V.

ET quia magna in Verbo Dei vis ineſt, ſi qui audierint ad vtiliter audiendum ſe inſtituant, moneant Parochi, ac Prædicatores ipſi Populos, vt cum ad Verbi Dei concionem accedunt, ſe à Deo, qui Concionatoris ore tunc loquitur, ſalutaribus præceptis, conſilijſque erudiri perſuadeant; & in Eccleſiam ingreſſi, primum à Deo precentur, ſibi peccata remitti, tum etiam ſibi aperiri aures cordis, vt audiant, & ad inſtituendæ vitæ rationem, & vſum accomodent, ea quæ Concionator enunciauerit, vt firma deliberatione animi, vnuſquiſque ſtatuat ſe velle perficere, atque exequi quæcunque in Concione audierit, & ea non ad alios, ſed ad ſe ipſum dicta referat, vt ne-

que eloquentiam, neque actionem Concionantis ſpectet, aut admiretur, ſed totus in eo ſit, vt Diuini Verbi ſpiritũ hauriat, quo incenſus, quæ audierit ſtudioſè operetur; Concione abſoluta, præcipua capita, quæ ſibi conueniant, tacita cogitatione omnes ſecum repetant, & quomodo illa exequi poſſint rationem ineant, & cum domos reuerſi fuerint, familiam ſuam ſæpè commone faciant, quæ de ſanctæ vitæ inſtitutione à Concionatore acceperint, & alijs etiam oportunè communicent.

De Doctrina Chriſtiana, & Ludi magiſtris. Caput I.

CHriſtianæ fidei rudimenta ſcire, cum omnibus fidelibus admodum ſit neceſſarium, Pueros autem à teneris ad bonum aſſueſieri magni ſit operis, & effectus, Archipresbyteris, & cæteris animarum curam gerentibus præſenti decreto mandamus, vt ſingulis ſaltem Dominicis, & feſtis diebus dato Campanæ ſigno, & tranſmiſſis Clericis per vias publicas Beatiſſimæ Virginis Letanias, vel alterius generis Laudes ſpirituales canentibus, Pueros ad Eccleſias conuocent, & à prandio vſque ad horam Veſperarum Doctrinam Chriſtianam per ſe, vel per alios ad id idoneos, cum ipſorum tamen interuentu, & præſentia illos diligenter edoceant, & id ſi quis præſtare neglexerit, grauibus arbitrio noſtro mulctis punietur, ac iuxta ordinem à Nobis præſcriptum, mares in vnum Sacellum reducantur, feminæ in alterum, vt à maſculis feminæ omninò diſiungantur.

Digitized by Google

CAP. II.

PORrò Confeſſarij grauiſſimam pœnitentiã iniungant, & Parochi omnes inter Miſſarum ſolemnia, parentibus,& alijs paruulorum moderamen habentibus,patribus familias, ac dominis, Diuinam vltionem ſæpè denunciẽt, ſi nullam, aut paruam diligentiam adhibuerint, vt ſui liberi doctrinam Chriſtianam addiſcant, neque eis, quos in gubernio, vel famulatu habent tantum in diebus ſaltem feſtis vacui temporis conceſſerint, quo in Eccleſias vbi ea doctrina tradetur, ad eam percipiendam conuenire poſſint.

CAP. III.

OMnibus etiam, ſingulíſque animarum Curatoribus, & cæteris Confeſſarijs, ſiuè ſæcularibus, ſiuè Regularibus in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, vt exceptis perſonis illis, quas Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Fidei ſimbolum, & decem Legis Præcepta ſcire certum, & exploratum ſit, cæteros rudes antequam illorum confeſſiones audiant, dicta quatuor capita recitare faciant, & quos ignaros offenderint, hanc illorũ ſpiritualem ſocordiam acriter reprehendant, nec eos abſoluant, niſi præ ſenectute, vel præ ingenij hebetudine, vel alia de cauſa illa non poſſe diſcere cognoſcant, quibus tamen cum eos abſoluerint præter alias actiones pœnitentiæ ſatisfactorias, id etiam imponant, vt certò illis præfinito tempore ad confeſſionem ſacramentalem redeant, eadem quatuor potiſſimum recitaturi, ſi qui verò ſemel, atque iterum ad ſacramentum Pœnitentiæ ita dimiſſi, eos etiam in rudi, & craſſa prædictorum ignorantia, aliquo naturale forſan impedimento perſiſtere compertum fuerit, de ijs ad Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem refera-

ferantur, & interim non abſoluantur, ad matrimonium cō-trahendum non admittantur; nec in Baptiſmate, aut Cō-firmatione Patrini eſſe poſſint.

CAP. IV.

Sodalitates virorū, & mulierum quibus in locis cōmo-dè fieri poterit, Parochi quam primum erigi curent, quæ pium hoc Doctrinæ Chriſtianæ opus exercendi, & coadiuuandi pro inſtituto habeant; & Clerici; & Sacer-dotes in eis omninò deſcribantur, vt in tam ſalubri mini-ſterio laborantes, indulgentias à fel. record. Paulo V. & alijs Summis Pontificibus huiuſmodi Scolis conceſſas, ipſi quoque conſequantur.

CAP. V.

Lvdi magiſtri, commiſſos ſibi pueros timore Dei, & bonis moribus imbuant, diſciplinam, & Doctrinam Chriſtianam doceant, libros obſcęna, vel turpia tractan-tes ipſis, nec interpretandos, nec legendos proponant; cu-rent etiam vt ſingulis diebus ſancto Miſſę ſacrificio inter-ſint, ſingulis menſibus peccata ſua confiteantur, ſanctiſ-ſimoque Euchariſtię Sacramento quicunque per ętatem fuerint idonei reficiantur, quod ſi hęc omiſerint; Nobis quantum auctoritas Noſtra tulerit, & Diuino, ac omnipo-tenti Iudici rationem reddituros eſſe pro certo habeant.

De

De feſtorum dierum Cultu, & Ieiuniorum obſeruatione.

SEruilia in diebus feſtis opera exercentes pecuniarijs mulctis, & in ſubſidium excõmunicationis gladio puniantur, criminis, & perſonæ inſpecta qualitate, nec gradus, conditio, aut ſexus, errantem aliquem reddat immunem; & ſi filius, aut famulus deliquerit, Pater, & dominus pœnas ſubeant; licentias tamen non ſolùm à Vicario noſtro Generali, ſed & à Vicarijs locorum Foraneis gratis, & ſine vllo prorſus pretio, aut pacto directè, aut indirectè recipiendo, omnibus, qui rebus ad victum neceſſarijs, ac tempore perituris operam daturi, præſertim vindemiarum, & meſſium, ac recollectionis fructuum temporibus, vel vbi neceſſitas vrgeat, aut ſuadeat pietas, illas poſtulauerint, concedi volumus, & iubemus.

CAP. II.

ET cum dies feſti ad celebrandas Dei, & Sanctorum laudes potiſſimum ſint ordinati, admoneant crebrò Populum ſuum Parochi, & hortentur, vt ſacroſancto Miſſæ ſacrificio fideles omnes diebus feſtis interſint, nec Puellæ nubiles, neque deinceps Viduæ ob recentem mariti mortem, nec vllo alio cuiuſuis conſuetudinis prætextu ſe excuſent; vt Diuinis præſertim Veſperarum officijs præſentes religiosè adſint, vt in officijs pietatis ſe exerceant, & illorum dierum tempus, quod Deo, eiuſque cultui debetur, in ijs actionibus totum conſumant, in quibus ſanctè agendo conſumari poteſt: præcipuè autem ab omnibus vndè peccandi materia, atque occaſio exoritur ſe abſti-

neant,

Digitized by Google

neant, vt in ea opera incumbant, ob quæ ſunt illi ſacri dies inſtituti.

CAP. III.

CHoreæ, tripudia, ſaltationes, & id genus alia feſtis diebus, ſaltem horis quibus Diuina celebrantur officia ne ducantur, aut fiant; Circulatores, & id generis Nebulones, præſtigias ſuas, inaniaque ſpectacula non agant, neque quidquam omninò vendant, ne medicamenti quidem prætextu; & nihil tandem in ipſis diebus ſacris publicè proferatur, quod à Diuinis officijs, religioſis actionibus, & rudes à percipiendis fidei Chriſtianæ rudimentis abſtrahere, & amouere poſſit.

CAP. IV.

LItes apud Tribunalia tam Eccleſiaſtica, quam temporalia feſtis diebus ſileant, nec Iudicum mandata in Ciuilibus exequantur; Contractus, nec Inſtrumenta fiant, præterquam ſponſalium, matrimoniorum, & earum rerum, quæ pietatem ſapiunt, officinæ non aperiantur, nec aliquid venale exponatur, præter illius ad diei victum, vel infirmorum curæ neceſſarium. Agaſonibus, & alijs iumentorum directoribus, onera tantum introducta onerare, & iter inceptum Miſſa audita liceat, Mercatus, & Nundinas ſi ex aliqua iuxta cauſa tolerandas eſſe duxerimus, ſpeciali Noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis licentia inſcriptis id comprobatum appareat, dum verò Miſſarum celebrationes perdurant, nulla ſuper præmiſſis concedatur diſpenſatio.

CAP.

CAP. V.

VIgiliæ, ac feſta, quæ in ſequenti hebdomada de Præcepto, ſeù voti publici, aut loci conſuetudinis ratione ſeruari oportet, ſingulis Dominicis diebus Archipresbyteri, & alij quicunque Curati Populo inter Miſſarũ ſolemnia denuncient, & agrorum, animaliumque, dominos ſæpiùs admoneant, vt Paſtores, & Bubulos, pecudumque Cuſtodes in Montibus, & Campis more beſtiarum viuentes, feſtis diebus ad Miſſam ſaltem audiendam venire permittant, & faciant, ne peccatorum, quæ contra feſtorum ſanctificationem ab illis perpetrantur, rationem Deo, ipſi Domini reddere teneantur.

CAP. VI.

SAcroſancti Concilij Tridentini Decretis quibus corruptelas à Chriſtianæ pietatis vſu, & à dierum feſtorum cultu alienas omni officio tolli viſum eſt, adducti, impium, & à ſathana introductum abuſum, vt ipſa nocte, ac die Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundum carnem, ludi alearum, & taxillorum priuatim, & publicè habeantur, omni ſtudio extirpare cupientes, excommunicationis Nobis reſeruatæ vinculo declaramus obnoxios omnes, & quoſcunque, qui ſanctiſſima Nocte, vel die Redemptoris Noſtri natalis ludere, ſeù domi ludos habere auſi fuerint, & vt prçſens decretum omnibus innoteſcat, ſingulis annis in die feſto Sancti Thomæ Apoſtoli inter Miſſarum ſolemnia in vnaquaque noſtra Eccleſia publicari mãdamus.

CAP. VII.

IEiunorum tempora, & maximè Quadrageſimç, quæ Catholica Eccleſia Spiritu ſancto edocta ſalubriter

prẹſcripſit, vt à fidelibus noſtrę Diœceſis, ea qua decet religione, & obſeruatione prẹſtentur, Dominum Omnipotentē ſuppliciter exoramus, & illos omnes vehementiſſimè cohortamur, & monemus, Parochus autem quiſque, & Concionatores ipſi populum ſuum, vt occaſio tulerit omni ſuaſione accendant, vt non ſolùm vetitos cibos abſque noſtra, ſeù Vicarij Generalis licentia de conſilio Medici, & Confeſſarij inſcriptis concedenda, comedere non audeant, ſed à peccatis, à iocis, & verborum ſcurrilitate ſe abſtineant, tunc enim fructuosè corpori eſca ſubtrahitur, cum mens ab iniquitate reuocatur, in orationis ſtudio igitur omnes fideles ſint frequentiores, peccata dolenter lugeant, & pro illis Dei miſericordiam omni pœnitentiæ officio implorent, frequentiùs ad Eccleſias conueniant, Miſſę ſacrificio, & Concionibus quotidiè interſint, elemoſynas pro ſuis facultatibus vberiores pauperibus erogent, & vitę ſanctitati ita incumbant, vt ſingulis Dominicis diebus cōfeſſi, ſacram etiam Euchariſtiam dignè ſumere poſſint.

CAP. VIII.

VT autem quilibet ſcire poſſit, quinam ſint dies feſti, & quæ ieiunia ſeruanda; Kalendarium infraſcriptū apponendum duximus, vt ſtatutis temporibus in ſuis Eccleſijs Archipresbyteri, & Parochi omnes illa publicare valeant; declarantes tamen, quod neminem abſoluere intendimus ab illorum ieiunorum, & feſtorum obſeruatione, quę forent ex laudabili conſuetudine in locis particularibus introducta, quamuis in Kalendario noſtro infraſcripto non ſunt annotata. Et ſi quando dies feſtus ſolemnis etiam Patroni Eccleſię, cuius celebritas à Clero, & à Populo fieri, & obſeruari ſolet, in diem Vigilię, & ieiunij, quod ex prẹcepto Eccleſię ſeruari debeat, inciderit,

rit, caueant omnes ob feſti particularem diei ſolemnitatem quam colunt, ne ieiunium aliquo modo violent, ſed illud vt Eccleſiæ vniuerſalis pręceptum poſtulat, omninò piè, rectèque colant.

Menſe Ianuarij.

1 Circumciſio Domini.
6 Epiphania Domini.

Menſe Februarij.

2 Purificatio Beatæ Mariæ Virginis.
24 Sancti Matthię Apoſtoli.

Menſe Martij.

19 Sancti Ioſeph Sponſi Beatę Marię Virginis.
25 Annunciatio eiuſdem Beatę Marię Virginis.

Menſe Aprilis.

Menſe Maij.

1 SS. Philippi, & Iacobi Apoſtolorum.
3 Inuentio ſanctæ Crucis.

Menſe Iunij.

24 Natiuitas Sancti Ioannis Baptiſtę.
29 SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum.

Menſe Iulij.

25 Sancti Iacobi Apoſtoli.
26 Sanctę Annę Matris Beatę Marię Virginis.

Menſe Auguſti.

10 Sancti Laurentij Martyris.
15 Aſſumptio Beatę Marię Virginis.
20 Herberti Archiepiſcopi Compſani.
24 Sancti Bartholomęi Apoſtoli.

Menſe Septembris.

8 Natiuitas Beatę Marię Virginis.
21 Sancti Matthęi Apoſtoli, & Euangeliſtę.
29 Dedicatio Sancti Michaelis Archangeli.

Menſe Octobris.

4 Beati Patris Sancti Franciſci de Aſſiſio Confeſſoris.
28 SS. Simonis, & Iudę Apoſtolorum.

Menſe Nouembris.

1 Feſtum Omnium Sanctorum.
2 Commemoratio omnium fidelium Defunctorum de mane tantum.
30 Sancti Andreę Apoſtoli.

Menſe Decembris.

8 Conceptio Beatę Marię Virginis.
21 S. Thomæ Apoſtoli.

25 Na-

25 Natiuitas Domini Noſtri Ieſu Chriſti.
26 S. Stephani Prothomartyris.
27 S. Ioannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ.
28 Sanctorum Innocentium.
31 Sancti Silueſtri Papę.

Feſta Mobilia.

Dominica Reſurrectionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti cum duobus diebus ſequentibus.
Aſcenſio Domini.
Feſtum Pentecoſtes cum duobus ſequentibus diebus.
Feſtum ſanctiſſimi Corporis Chriſti.
Omnes dies Dominici.

Ieiunia verò ſeruanda ſunt diebus infraſcriptis.

Diebus Quadrageſimę, Dominicis exceptis.
Quatuor Anni temporibus.
Vigilia Sancti Matthię Apoſtoli.
Vigilia Pentecoſtes.
Vigilia S. Ioannis Baptiſtę.
Vigilia SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum.
Vigilia Sancti Iacobi Apoſtoli.
Vigilia S. Laurentij Martyris.
Vigilia Aſſumptionis Beatę Marię Virginis.
Vigilia Sancti Bartholomęi Apoſtoli.
Vigilia Sancti Matthęi Apoſtoli, & Euangeliſtę.
Vigilia SS. Simonis, & Iudę Apoſtolorum.
Vigilia omnium Sanctorum.
Vigilia Sancti Andręę Apoſtoli.
Vigilia Sancti Thomę Apoſtoli.
Vigilia Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti.

De

De ſacris Imaginibus, & Miraculis; Caput I.

SIcut templi nulla ratio, quod ſacra Imagine non ornatur, ita ſedulò cauendum, ne vndè Religionis exempla ſumenda ſunt, contemptus inducatur, Catholica namque Eccleſia ſacras Imagines, ſeù effigies retinendas eſſe docet, vt quoties eas intuemur, illorum quos repręſentant actus, & ſanctitatem imitari, ac ipſos apud Deum interceſſores habere ſtudeamus, in quibuſuis igitur Eccleſijs, aut Oratorijs publicis Sanctorum Imagines in futurum non apponantur, nec depingantur ſine noſtra, vel Noſtri Vicarij Generalis approbatione, ſi quid autem extat, quod procacitatem, pręſeferat, aut laſciuiam, aut riſum, aut aliquid aliud, quod animos à deuotione auertat, aut prophanum repręſentet, aut ſapiat, ab Eccleſijs remoueatur, & arceatur.

CAP. II.

CAueant inſuper omnes cuiuſcumque ordinis, conditionis, aut ſtatus, nę Imagines Domini Noſtri Ieſu Chriſti, Deiparæ Virginis Mariæ, Angelorum, Apoſtolorū, & aliorum Sanctorum quorumcunque, contra Vrbani Papæ Octaui Conſtitutionem die 15. Martij 1642. editam pingere, neque ſculpere, ſeu ſculpi, aut pingi facere, ſeù ſculptas, aut pictas exponere audeant, cum alio habitu, veſtitu, & forma, quam Catholica Eccleſia ab antiquo tẽpore conſueuit, ſed aliter pictæ, vel ſculptę ab Eccleſijs, & alijs locis quibuslibet amoueantur, & deleantur ſub pœnis, & cenſuris in eadem Conſtitutione expreſſis.

CAP.

CAP. III.

IMò nec etiam quorumuis hominum, cum ſanctitatis, ſeù martyrij fama (quantacunque illa ſit) defunctorũ imagines, cum laureolis, aut radijs, ſeù ſplendoribus, in Eccleſijs tam ſęcularibus, aut quam Regularibus, Oratorijs, alijſque locis publicis, aut priuatis apponantur, nec ad eorum ſepulcra tabellæ, vel imagines ex cera, aut argento, ſeù alia quacunque materia pictæ, aut ſculptæ appendantur, nec lampades, aut alicuius generis lumina accẽdantur, antequam à Sede Apoſtolica canonizati, aut Beati fuerint declarati, ſub pœnis in decreto eiuſdem Vrbani Octaui ſub die ſecunda Octobris 1625. emanati contentis, & contra tranſgreſſores tam Regulares, quàm Sęculares, ac etiam Artifices ipſos exequendis.

CAP. IV.

CRuces verò, & Sanctorum Imagines, ſacrorumve myſteriorum, ſuper oſtia ſepulcrorum, humi, aut vbi pedibus calcari poſſint, aut aliquo ſordido loco etiam extrà Eccleſiam inſculpi, pingive omninò ſit vetitum, quæ in Eccleſijs admittentur, ſtatis precibus ex Eccleſiæ ritu benedicantur, ſi quæ autem nimia vetuſtate penè deletæ, vel indecenti ſunt aſpectu, ab ijs, quorum intereſt renouentur, aut ne in prophanos vſus conuertantur, igne comburantur, & cineres in pauimenti foueis collocentur.

CAP. V.

MIracula, quæ nouiter facta fuiſſe, quouis modo aſſerentur, à nemine etiam Regulari, aut exempto admittantur, aut publicentur, niſi prius ad Nos delata fue-

fuerint, vt adhibitis in conſilium Theologis, & alijs pijs viris, quæ veritati, & pietati conſentanea videbuntur, iuxtà ſac. Conc. Trid. Decretum faciamus, & ſtatuamus, Eccleſiarum igitur Rectores, atque ipſi Noſtri Vicarij Foraneij cum ſimile quid acciderit, rem diligentiſſimè inquirant, & Nobis ſignificent; interim autem ſi vulgi frequentia, & rumor concurrat, ne res vlterius progrediatur, Eccleſias claudant, & alijs opportunis remedijs populum continere procurent, donec de Miraculorum veritate certa cognitio habeatur.

C A P. V I.

QVod ſi de alicuius miraculis forſan agatur, qui ſanctitatis fama, vel opinione celebris è vita migrauerit, & illa, ſiue aliqua beneficia à Deo per eius interceſſionem accepta, referantur Superiori, Sacriſtæ, ſeù alteri Officiali illius Eccleſiæ, in qua requieſcit Corpus ipſiuſmet Defuncti, vel etiam alterius Eccleſiæ; ſub ſigillo ſecreti ab ipſis tantum relatoribus, in quorum gratiam contigiſſe narrabitur, poſſe recipi permiſſum eſſe intelligant, vt quamprimum tamen cõmodè poterunt, eadem omnia ad Nos deferant, vel obſignata tranſmittant, ad præſcriptum ſacræ Congregationis Rituum Decreti ſub die 12. Martij 1631. editi, & à Summo Pontifice Vrbano Octauo approbati.

De

De Sacramentis Generatim.

Caput I.

CVm Sacramenta omnia à Chriſto Domino Noſtro ſint inſtituta, & immenſi per ea Nobis elargiantur gratiæ ſuæ theſauri, ſancta etiam illorum debet eſſe adminiſtratio, & Religionis plena perceptio; meminerint igitur Archipresbyteri, & cęteri Sacerdotes, quorum eſt adminiſtrare Sacramenta, ſe omni ferè temporis momento paratos eſſe oportere ad huius ſanctę adminiſtrationis munus, quamobrem vitam ſuam ita inſtituant, vt mentem, & animam ab omni peccati labe puram (Adiutrice Dei Gratia) conſeruent, & ſancta Dei dignè tractare valeant, ac ſi (quod abſit) lęthalis culpæ reos ſe eſſe aliquando nouerint, ſacramentali Confeſſione, vel cordis ſaltem, cum propoſito confitendi vera cōtritione ſe expiare ſtudeant, ante Sacramentorum miniſtrationem, ne quod alijs in ſalutem, ipſi miniſtrantibus cadat in perniciem ſempiternam.

CAP. II.

FIdelibus autem Sacramenta ſuſcepturis, qua debeant modeſtia, reuerentia, & animi deuotione ad Sacramentorum receptionem accedere (non omittant explicare) Sacramenti, quod miniſtrabitur vim, rationem, vſū ſalutareſque fructus, prout temporis, ac perſonarum ratio, & præſentium multitudo tulerit, illos doceant, ac fidem, & charitatem in ipſis excitare omni diligentia ſtudeant, vt cæleſtia dona, quæ Sacramentorum virtute impartiuntur, promereri faciliùs poſſint, neque iudicium ſibi manducent, vel hauriant.

CAP. III.

PRo Sacramentorum, & Sacramentalium adminiſtratione, habeant omnes animarum curam exercentes nouum Rituale Romanum fel. rec. Pauli Papæ V. iuſſu editum, & receptos, atque probatos ab Eccleſia Romana ritus, & ceremonias omnes in eo præſcriptas ita obſeruent, vt nihil illis, nec alicuius quidem priuatæ deuotionis nomine addant, vel demere audeant. Sacramenti cuiuſuis materiam, & formam adhibeant propriam, in ipſaque adminiſtratione actualem intentionem, vel ſaltem virtualē, cum intentione faciendi, quod in ea facit Eccleſia, omninò habeant, & ne titubanter quicquam in miniſtratione agant, quamuis ordinem miniſtrandi, ceremoniaſque ritè teneant, antea tamen, quam miniſtrent, quæ agenda sūt ex dicto Rituali recognoſcant, & omnia ex eo recitent, nec memoriæ (quæ plerumque labitur) vnquā confidant.

CAP. IV.

QVacunque diei, & noctis hora, Parochus, aut quiuis alius Sacerdos ad quem Sacramentorum adminiſtratio pertinet, ad ea miniſtranda vocatus fuerit, nullam officio ſuo præſtando, moram interponat, & non vultu, aut verbis ſe grauatè iturum oſtendat, ſed hilaris, & paterna charitate plenus, celerrimè accedat. Illud pręſertim caueat, ne pro Sacramentorum adminiſtratione, verbis expreſſis, aut pactione, aut nutibus, aut aliqua alia tacita ſignificatione, aliquid petat, vel exigat: qui ſecus fecerint ſimoniacorum pœnas dabunt. Si quid eleemoſynæ datū fuerit, & dari conſueuerit, liberum ſit accipere, vt piæ inſtitutionis ratio conſeruetur: ad laudabilis enim conſuetudinis obſeruantiam, omnes iuxtà ſacrorum Canonum diſpoſitionem à Nobis compelli, etiam poſſe declaramus.

CAP.

CAP. V.

SAcra tandem ſuppellex, veſtes, & vaſa, quæ ad vſum miniſtrationis adhibentur, munda ſint, & ab omni ſorde pura; ſuperpelliceum, & Stola eius coloris, quem Sacramenti miniſtrandi ritus expoſtulabit, niſi in pœnitētiæ Sacramenti miniſterio, locus, vel occaſio interdum aliter ſuadeat; & vnus ſaltem Clericus ſuperpelliceo pariter indutus ſemper adhibeatur, luminaque in miniſtratione accendantur, prout Sacramenti ratio depoſcit: Sacramenta præterea, ſanctè, grauiter, deuotè, ac religiosè adeò tractentur, & miniſtrentur omnia; vt non actione ſolum tota, ſed vultu etiam, illi qui aderunt ad pietatem, & deuotionem concitentur: atque vt piè magis, & ſalutariter Sacramenta miniſtrentur, & percipiantur, antequam ad ſacræ actionis miniſterium Sacerdos accedat, niſi neceſſitas feſtinare illum impellat, genibus flexis ad Altare paululum orare non prætermittat: & hanc Orationem, quam Sanctus Carolus ſuis Parochis aſſignauit, vbi propria non ſit adſcripta recitet.

Pſalm.

VEni ſancte Spiritus reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in nobis ignem accende. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, &c. *Iterum*. Veni ſancte Spiritus, &c.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oratio.

DOmine Deus omnipotens, qui me indignum propter tuam miſericordiam, miniſtrum feciſti Sacerdotalis

officij, propitius eſto mihi peccatori, vt condignè poſſim Diuina clementiæ tuæ ſacramenta fidelibus ad ea confugientibus miniſtrare. Per Dominum noſtrum, &c.

C A P. V I.

NE quis autem Sacramenta ad humani generis ſalutem à Chriſto Domino Noſtro inſtituta, in alios vſus, & (quod magis dolendum eſſet) prophanos aut ſacrilegos, diabolico inductu conuertere vnquam poſſit. Parochis omnibus, & alijs quibuſcunque, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, carceris, & alijs grauiſſimis arbitrio Noſtro infligẽdis pœnis præcipimus, & mandamus; vt maximè caueant, ne ſacra Euchariſtia, ſiuè alijs Sacramentis abutatur, vel alteri abutenda, etiam ſub prætextu medicinæ, vel maleficij curandi cauſa concedant, ſed illa diligenter conſeruent, & ne propter Sacramentorum irreuerentiam ira Dei ſæuiat in miniſtros, accuratiſſimè cuſtodiant.

De Baptiſmo. Caput I.

QVoniam per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & originalis peccati macula, quæ omnem hominem ab Adam ſeminaliter deſcendentem labefactat, ſacro regenerationis lauacro, quod tangit corpus, & animam lauat, expiari eſt neceſſe, dicente Domino Saluatore Noſtro: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto non poteſt intrare in Regnum Dei; curent in primis animarum curæ Præpoſiti, vt fides de peccato originali; quod Sacramento Baptiſmatis tollitur, iuxta doctrinam ſacri Cõcilij

cilij Tridentini, Seſſione quinta, ab omnibus,& ſciatur,& retineatur, filioliquè ad Eccleſiam quamprimum adducãtur, vt hoc ſalutari Sacramento in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.

C A P. I I.

IN adminiſtratione autem tanti Sacramenti, ab omni prorſus errore caueant, & Rituale (vt alias diximus) nouum Romanum, præ manibus habentes, quæ ſeruanda ſunt ex eo clarè, & diſtinctè legant; & ad vnguem obſeruent, verborum formam debita pręſertim intentione pronuntiantes. Populo etiam ſuo inter Miſſarum ſolemnia ſignificare aliquando non omittant, quod licèt baptizans regulariter ſit Parochus, vel Sacerdos, qui de Noſtrâ, aut Parochi licentia in Eccleſia munus exerceat: in caſu tamen neceſſitatis vbi periculum vitæ imminet, ſiuè mares, ſiuè feminæ omnes, domi, & foris, baptizare poſſunt. Dummodo pręſens dignior, ſiuè in ordine, ſiuè in ſexu, ſiuè in ętate minus digno ſemper in conferendo Baptiſmo pręferatur, niſi tamem dignior ſit excommunicatus, vel alias impeditus, aut niſi pudoris gratia, fęminam potiùs, quam virum baptizare infantem non omninò editum, deceat; vel fęmina meliùs formam, & modum baptizandi ſciret. Et propterea materiam huius Sacramenti, aquam veram, & naturalem eſſe, formam verò, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ita pręſcriptam explicabunt, vt nèc ex liquoribus, aut aquis, quæ ex floribus, herbis, alijsvè id generis exprimuntur, aut eliciuntur, Baptiſmus cõfici, nec aliquid prędictis verbis addi, vel minui poſſit, ſed & baptizantis debeat eſſe intentio, illud faciendi, quod ſancta Mater Eccleſia intendit.

CAP.

CAP. III.

ET quoniam periculum vitæ, atque huiuſmodi neceſſitas in partu plerumque accidit, ob quam mulieres obſtetrices baptizare conſueuerunt: nulla mulier obſtetricis officium exercere præſumat, quæ, omnia quæ circà huius Sacramenti adminiſtrationem ſciri debent, optimè non calleat, & præuio examine ab ipſo Curato non fuerit approbata. Inſtruere autem eas, & docere oportet in primis, ne faciles in baptizando ſe prębeant, ſed vbi vrgens vitæ periculum tantum imminet. Deindè vt verba ad formam ſpectantia rectè, ac diſtinctè proferant, & ideò meliùs forſan erit, ſi vulgari ſermone illa recitent, poſteà, vt non alia quam pura, & ſimplici aqua elementari in baptiſmo conferendo, pro materia vtantur: ſi qua verò mulier non examinata, vel nõ approbata, officium obſtetricis cõtra huius decreti noſtri tenorem auſa fuerit exercere, eam excommunicationis ſententia illicò puniendã eſſe decernimus.

CAP. IV.

OBſeruent autem diligenter Sacerdotes baptizantes, ne ſemel in caſu neceſſitatis baptizatos, iterum baptizent. Si hunc enim admiſerint errorem, pręterquam quod grauiter peccant; ſciant ſe ipſo facto (vt in Catechiſmo Romano habetur) notam irregularitatis incurrere, ideò antequam infantes baptizare aſſumant, omni ſtudio inueſtigare procurent, an baptizati fuerint, & ea ſit adhibita materia, & forma, vt cęremonias exorciſmi, inſufflationis, vnctionis, & aliorum, quæ mandat Eccleſia ſupplere tantum opus ſit. Si res autem in dubium reuocetur ſub conditione baptizent, & omninò ſeruent in regulis noui

Ri-

Ritualis annotata, quæ prout referre ſuperfluum, ſic immutare nefas eſſe duximus.

CAP. V.

Compatres excommunicatos, aut alias ab eodem Rituali prohibitos, nec obſtetrices ipſas Parochi non adhibeant, & vnus tantum, ſiuè vir, ſiuè fęmina, vel ad ſummum duo, vir, & fęmina iuxtà ſac. Conc. Tridentini Decretum admittantur, quos ad rudimenta fidei, & bonos mores erudiendum puerum, vel puellam (ſi parentes in eo fuerint negligentes) teneri, ac de cognatione ſpirituali, quæ inter leuantes, & leuatum, eiuſque patrem, & matrem, baptizantem, & baptizatum, eiuſque patrem, & matrem contrahitur, certiores fieri neceſſe eſt, obſcęna verò, fabuloſa, aut ridicula, vel inanium Deorum, vel impiorum Ethnicorum hominum nomina non imponantur, ſed illorum potiùs, qui ob veræ pietatis, virtutiſque Chriſtianæ commendationem in Sanctorum ordinem relati ſunt, vt & in ipſo ingreſſu cum Ethniciſnę nomen quidē commune fideles habere proteſtentur, & ipſi infantes etiā cum ętate proceſſerint, nominum ſimilitudine ad eorum, à quibus illa acceperint, imitationem excitentur, ac eiſdem potiſſimum ſibi ad ſalutem aduocatis vtantur; verū ſi quod aliud nomen, quod grauitatem, ac pietatem præſeferat parentes imponere optauerint, id non permittatur, niſi alicuius Sancti nomine adiecto.

CAP. VI.

Peracto demùm Baptiſmo, parentibus, ac nutricibus baptizati Parochus iniungat, ne puerum, vel puellam per annum integrum in ſuomet lecto, vnà cum ipſis,

ſub

ſub excommunicationis pœna dormire faciant, quàm ipſo facto volumus incurriſſe, ſi eam ob cauſam infantis ſuffocatio fuerit ſubſecuta; moneat etiam puerperas, vt quãprimum poſt partum domo exierint, ad Eccleſiam Deo acturæ gratias accedant, ibi benedictionem à Parocho ſuſcipiant; nec tamen ingreſſu Eccleſiæ interdicantur, ſi huiuſmodi ſolemnitatem Miſſam facere voluerint, & hortentur quoque omnes, vt infantes cum primum ſuis viribus nituntur, & ambulare incipiunt, in Parochialem Eccleſiã illos ſtatim perducant, ab eodem Parocho ſtatis precibus ex præſcripta formula benedictionem accepturi, vt vbi vitæ initium Deo conſecratur, reliquæ omnes viæ, progreſſiones ſint (adiutrice Diuina gratia) ſalutares.

CAP. VII.

MEminerint etiam Parochi, vt ad eam, quæ data eſt in eodem Rituali formam, librum habeant, in quo antequam ab Eccleſia diſcedatur, Sacerdos, qui baptizauit, nomina baptizati, Parentum, Compatris, & Cõmatris notato die, menſe, & anno deſcribat, & baptizati Parentes, & alios circumſtantes de bonis, quæ in baptiſmate conferuntur admoneat, & illos hortetur, nè in commeſſationibus, aut choreis exultent; ſed Deo pro immenſis humano generi, & ſibi præcipuè collatis beneficijs debitas gratias agant.

CAP. VIII.

ET ne temeraria manus ad ſuperſtitionem, & perniciem illis abutatur, quæ ad lauacrum Regenerationis, & ſalutem inſtituta ſunt. Sacerdos ex præſcripto fontem benè communitum, ſera etiam, clauique claudet,

quam ne Clerico quidem committens, apud ſe perpetuò cuſtodiat. Nec ſal ex domo parentum Baptizati allatum, poſtquam fuerit benedictum, nec candelas ad Baptiſmum adhibitas, vel linteolum, aut bombycem, quibus infantis caput, & ſacri vnctio Chriſmatis abſtergitur, in eandem, vel aliam domum reportari permittat, ſed hæc omnia in Eccleſia apud ſe retineat, vel comburat.

CAP. IX.

IN omnibus tandem Parochialibus Eccleſijs adſit fons Baptiſmalis lapideus, decenter, ac fabrefactus, interior autem pars illius ouata circumcircà, medietatem, altero vaſe æreo, ſtamno intus illito, ad ſemilunæ formam conſepto circumdetur; in quo conſeruetur Aqua Baptiſmalis. Altera verò medietas fontis lapidei in medio habeat foramen quadratum, quod per baſim fontem ſuſtinentem, ad pauimentum vſque perueniat, & ſub baſi ciſterna ſubfodiatur, quæ aquam ſuper capite Baptizati deiectam recipiat, & ad ſacrarium perducat. Sublato omninò vſu Baptizandi in fictili vaſe, vel Aquam in eo retinendi, Ciborium ſupra fontem ex nuceo ligno, vel alio non facilè corruptioni obnoxio, vbi non eſt adhuc, ornatè elaboratum, ponatur; quod à dextera parte, & ſiniſtra aperiatur, vt extendi, & commodiùs ſuſtineri ſuper fonte poſſit infans, & iuxtà labrum concauitatis fontis lapidei, firmentur plumbo oculi ferrei circumcircà in lapide, & ut vncini in ligno ciborij affigendi in eis includi valeant, adhoc vt ciborium ſtabiliri, & remoueri etiam poſſit, dum ſacræ Ceremoniæ fontis in Sabbato ſancto, & Pentecoſtes erunt adhibendæ. Ciborium ipſum conopeo lineo colorato, ad arcendas pulueris iniurias operiatur; ex interiori verò parte panno rubro, pro Sacramenti decore contegatur.

tur. Coclear vnum ex argento, vel ſaltem ex ſtamno, aut ære, intus tamen ſtamno illitum cum oblongo manubrio, ad commodiorem Baptizantium vſum; & ad aſpergendam ſupra Baptizandorum caput aquam ibidem conſeruetur. Adſit prætereà capſula ex corio ad minus confecta, & intùs panno rubro circumdata, in qua duo Vaſcula argentea, vel ſtamnea conſeruentur, & in eis cum bombyce ſanctum Chriſma, & Cathecuminorum Oleum pro Baptiſmi vſu, cuiuſcunque olei circum illorum ora inſcriptis nominibus, vt omnis errandi tollatur occaſio.

2 Aqua verò fontis eiuſdem Baptiſmalis, ſaltem bis in anno in Sabbato ſancto videlicet, & in Sabbato Pentecoſtes de more benedicatur, & ſi per totum annum non ſufficiat, vel corrumpatur, toties id fieri poterit, quoties neceſſitas, aut Sacramenti dignitas id requirere videatur. Et omnia tandem ita nitidè cuſtodiantur, vt nihil appareat, vel turpitudinis, vel ſordium, vbi omnis decor, & omnis ſplendor requiritur.

De Confirmatione. Caput I.

Sponſionem; quam Chriſto, & eius fidei pro infantibus dum Baptizarentur Parentes, & alij præſtiterunt, ſi Chriſmatis ſacri deindè Sacramentum ſuſcipientes, ijdem paruuli confirmauerint, Spiritus ſancti dona, niſi aliud efficientiam illius impediat, ex eo recipiunt, & in fide roborati aduerſus diaboli nequitias, carnis, & mundi oblectamenta fortiores fiunt; Huius ergo Sacramenti quod ab exordio naſcentis Eccleſiæ ab Apoſtolis per manuum impoſitionem conferebatur, & ſucceſſiuis temporibus miniſtrandi ſolis Epiſcopis facultas ordinaria eſt reſeruata, dignitatem, &

Animarum

vtilitatem Curatores, Populos ſibi commiſſos tunc maximè doceant, quando pueros, & puellas confirmandi tempus inſtabit, nec eos qui in curam ſibi traditi ſunt, ad illud ſuſpiciendi negligentes eſſe permittant.

CAP. II.

DOminico, feſtovè die, qui ſolemnem tanti Sacramenti adminiſtrationem proximè præcedat, quilibet Parochus Archiepiſcopi edictum, ſeù litteras promulgabit, & ex ritibus, & ceremonijs, quæ adhibentur, inſtructionem ſermonis ſumendo, circà ſanctum Chriſma, quod huius Sacramenti eſt materia, & ex Oleo, & Balſamo conficitur, plenitudinem diuinæ gratiæ explicabit, quæ per Spiritum ſanctum à Chriſto Capite in omnes fideles diffluit, & ex natura Olei exprimitur, Parochianoſque ſuos hortabitur, vt Dei munera, & miſericordiæ abundantiam pietatis officijs agnoſcant, & virtutes, quibus homo Chriſtianus circumfluere debet amplectentes, iucundiſſimi odoris ſuauitatem, quam Balſamum ſignificat ipſi Deo, & hominibus de ſe præbeant, diuinam poteſtatem etiam, quæ in hoc Sacramento operatur oſtendet ex illis verbis: In nomine Patris, & Filij; & Spiritus ſancti, & robur animi, & ſpiritus, quod per ſacram Vnctionem fidelibus ad ſalutem tribuitur exponet, Chriſtique militem non verecundia, neque metu, nec periculo perterreri vnquam debere, quin palàm & liberè Ieſum Chriſtum pro peccatis noſtris Crucifixum, & omnem eius doctrinam confiteatur, vt ſignum illud Crucis demonſtrat, quod Archiepiſcopus fronti, vbi verecundiæ ſedes eſt, eius quem confirmat ſanctæ Confirmationis formulam proferendo imprimit.

CAP. III.

ADmirabiles deindè alios huius Sacramenti effectus exponere non omittant Parochi, & illum præſertim, qui ad conſequendum Spiritus ſancti Septem dona pertinet, quæ ſingula fidelibus ſuis enumerando, illos etiam ad id inflammabit, vt ea, cum frequenter, tum verò quo tempore hoc Sacramentum miniſtratur, animo, menteque reputantes intrà ſe videant, & conſiderent, in tanta diuinorum munerum gratia, quales ſint ipſorum progreſſiones.

CAP. IV.

QVę vero, & quanta ſint myſteria in ſacra Confirmatione recogitanda indicabit etiam Curatus Populo ſuo, & primo, Ritum quem Archiepiſcopus adhibet cum leuiter in maxilla cędit, quem Chriſmate confirmat ita declaret, vt omnes ſciant, hominem Chriſtianum in patiendis iniurijs eluceſcere, malorumque ictus, ita debere ſuſtinere, vt quamuis, corpus honor, opeſque lædantur, anima tamen nullo pacto offendatur, Patrinū adhiberi narret, vt Chriſtianus diſcat aliorum potiùs monita, conſiliaque libenter audire, & amplecti, quam ſibimetipſi confidere. Poſtremò pacem confirmatis dari declarabit, vt intelligant ſe gratiæ Cęleſtis plenitudinem, & pacem, quæ exuperat omnem ſenſum, conſecutos eſſe.

CAP. V.

ILlud quoque explicabunt Archipresbyteri, quod Sacramentum huiuſmodi indelebilem in anima confirmatorum characterem imprimit; ſignum ſcilicet à Deo ani-

animæ in eiuſdem Sacramenti ſuſceptione impreſſum, perpetuòque manens, vt propterea Sacramentum hoc reiterari non poſſit, & cauere debeant omnes, qui ſe confirmatos ſciunt ne ad hoc denuò recipiendum Sacramentum accedant, nam præter graue peccati mortalis reatum, quem incurrent, pœnis etiam à Nobis non leuibus afficientur.

CAP. VI.

MOneant inſuper Curati ſubditos ſibi omnes, vt qui adulti confirmandi erunt, peccata ſua priùs confiteantur. Nullus vno, eodemque die, niſi vnum, aut duos ad ſummum pueros ad Chriſmandum præſentet. qui per Patrinos ante Archiepiſcopum in bracchijs teneantur dexteris. Adulti verò, ſeù alij maiores, pedem ſuum ſiniſtrum ſupra pedem dexterum Patrini ponant. Et quæ de Compatribus, & Commatribus, ac Parentibus prohibendis circa Baptiſmum à Rituali nouo Romano ſancita, & à Nobis ſupra relata ſunt, eadem in ſuſcipiendo confirmandos, obſeruentur. Nec maſculus fœminam, aut fœmina maſculum ſuſcipere ad confirmandum audeat, ſed vnuſquiſque ſui ſexus conditionem ſequatur. Et qui adhuc confirmatus non fuerint ad ſuſcipiendum alios in confirmatione non admittatur.

CAP. VII.

SI qui verò turpe nomen habeant, illum mutent, omninòque ſumant in confirmatione nomen Sancti alicuius, quem in Cælis patronum deligant, vt ad imitationem illius virtutum ſibi proponant, omnes etiam qui confirmandi erunt, accedant, non incompoſitis, atque vſque

adeò

adeò promiſſis capillis, vt penè frons obtegatur, neque rurſus fronte ſint, aut ſudore madida, aut ſordibus conſperſa, fœminæ item ne fuco, & pigmentis facie illita, ſed moderato, ac honeſto capitis, & corporis ornatu, vel veſtitu accedant, vt huius Sacramenti reuerentiam, quæ Chriſtianos viros, & Chriſtianas mulieres decet præſeferre ſignificent.

CAP. VIII.

Confirmatorum frontes ſacro Chriſmate delinitos, ſtatim bombyce accuratè admodum abſtergantur, & aqua, & linteolo lauentur; quæ omnia deindè in Sacrarium mittantur, & poſtquam Patrini de cognatione ſpirituali, quæ in hoc Sacramento, inter confirmatos, eorumque parentes, & ſuſceptores ipſos contrahitur, edocti fuerint; referantur omnes cum nominibus confirmatorum, & Archiepiſcopi confirmantis in librum, quem ad formulam à Romano Rituali præſcriptam, ſinguli Parochi habebunt, & nullum, qui ſeptem annis minor ſit, puerum Chriſmandum exhibeant; niſi aliter Archiepiſcopo forſan confirmanti viſum fuerit.

De Sacramento Sanctiſsimæ Euchariſtiæ. Caput I.

Auguſtiſſimum, & præſtantiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quo nihil digniùs, nihil admirabiliùs, & nihil ſanctiùs habet Eccleſia Catholica, & in quo verum Domini Ieſu Chriſti Corpus, illud idem quod natum ex Virgine, in Cælis glorioſum ſedet ad dexteram Patris, realiter, & ſubſtantia-

liter

Digitized by Google

liter continetur, ſumitur, & adoratur, maximam ponant Parochi diligentiam, ſummumque adhibeant ſtudium, tum vt ab ipſis ea qua decet reuerentia tractetur, & aſſeruetur, tum etiam vt Populus ſibi commiſſus illud religioſè colat, ſanctè ſuſcipiat, illius dignitatem, & excellentiam agnoſcat, & bonorum affluentiam in eo incluſam intelligat.

CAP. II.

PRo illius cuſtodia, & conſeruatione in qualibet Eccleſia, in qua animarum cura exercetur; Tabernaculum ligneum, ſeù ex alia nobiliori materia, ſi redditus Eccleſiæ id patiantur, conſtructum habeatur, ex anteriori parte decenter elaboratum, & deauratum, ex interiori verò panno ſerico vndique circumueſtitum, & ſubſtracto priùs Corporali benedicto, intrà clauſtra Tabernaculi, Sacramentum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ in duabus argenteis ab intùs deauratis Pixidibus conſeruetur, quarum vna maior ad communicandum in Eccleſia fideles, altera minor, qua Viaticum ad infirmos deferatur eſſe debeat; nec in aliqua Tabernaculi parte locus ſanctis Oleis, aut Sanctorum Reliquijs concedatur, cum enim diuerſum à Sanctiſſimo Sacramento cultum requirant, ſimul cum eo aſſeruari non decet; Oſtilium autem ſera, & claui adeò tutè claudatur, vt ſine fractura non poſſit aperiri, nec alicui vnquam clauis eadem à Parocho committatur, quod ſi ex eius culpa, aut negligentia, ſiniſtri aliquid acciderit, pœnas ex Canonum diſpoſitione propoſitas Nobis dabit. Conopeo etiam ſerico, pro temporum Eccleſiæ qualitate mutando, Tabernaculum operiatur. Ante illud ardeat ſemper ad minus vna lampas, & in Altari collocatum ita ſit, vt Miſſarum celebrationi non præſtet impedimentum; ac

ac populum verſus ex eo, Sacerdos commodè poſſit educere Pixides Sacramenti, nec ſuper Altare conſcendere ad eas ſumendas illi ſit opus. In alijs autem non Parochialibus Eccleſijs, vel Capellis, nemo qui Sedis Apoſtolicæ munitus non ſit priuilegio Sacramentum Euchariſtiæ audeat conſeruare, & ſi alicubi temerè detinetur, ſub excommunicationis pœna ipſo facto, ſi per menſem à die publicati Synodi non pareatur incurrenda, omninò remoueatur.

CAP. III.

ERigantur ante Altare Sanctiſſimi Sacramenti, vbi pro Eccleſiarum amplitudine commodè fieri poterit, cancelli, ſeù columnellæ cum corniceis ex nuce, quæ circumcircà claudant Altare, & ante illorum oſtium conſtruantur valuæ ligneæ, quæ ſemper clauſæ maneant, & aperiantur ſolum Sacerdote ingrediente, vel egrediente ad celebrationem Miſſæ, aut ſacram miniſtrandam Euchariſtiam. Nullus autem laicus, ſiue vir, ſiue fœmina intrà cancellos admittatur, neque etiam pro Communione, & à gradibus Altaris remoti communicentur laici, Clerici verò ſupra gradus Altaris genibus flexis.

CAP. IV.

ET quoniam ſicut panis communis, quem quotidiè edimus vita eſt corporis, ita panis iſte Cæleſtis, ac ſuperſubſtantialis vita eſt animæ. & ideò tanquam panis quotidianus, vt quotidiè prodeſſet, quotidiè à Nobis ſumi deberet. Iudicium autem, & mortem qui ſumpſerit illud indignè ſibi manducat, & bibit. Parochus vnuſquiſque populum ſibi commiſſum, prout opportunum videbit, ad

ſa-

ſaluberrimum huius Sacramenti frequenter ſumendi vſum naſcentis Eccleſiæ inſtitutis, atque Sanctorum Patrum exemplis, & ex Oecumenici Synodi Tridentinæ ſententia; quæ optaret fideles in ſingulis Miſſis non ſolùm ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicare accurata, piaque concione, ſæpiùs hortabitur, & excitabit. Illud ſaltem obtinere ſtudens, vt præter Paſchatis Communionem (quæ Eccleſiæ præcepto neceſſaria eſt) ſaltem in præcipuis ſolemnitatibus, velut Natalis Domini, Epiphaniæ, Pentecoſtes, in diebus item feſtis maioribus Beatæ Mariæ Virginis, Dominicis Quadrageſimæ, & Aduentus, omnes qui de ſua fuerint Parochia communicent. Docebit autem in primis, quanta illis parata ſint ſupplicia, qui Sanctiſſimum hoc indignè ſuſcipere audent Sacramentum, & quomodo menſam hanc ſacram ab alijs prophanis, Cæleſtem hunc Panem à communi diſcernere, conſcientiam ab omni exitiali peccato, contritionis,& confeſſionis medicamento purgare,& ſumma animi puritate, ac innocentia, ad huiuſmodi Diuinum Conuiuium intrare opus ſit, potiſſimum tradet: Ad humilitatem etiam, & reuerentiam in communione ipſa fideles excitare curabit, illos admonendo, vt piè, ſecum mente, animoque vnuſquiſque cogitet in Sacramento totum Chriſtum eſſe, quem Angeli adorant, & columnæ Cæli contremiſcunt, deindè quam indignus ipſe ſit, cui datum eſt illud ſumere, Paſſionem Redemptoris Noſtri, ex cuius vulneribus pius ille amor hauritur, religiosè meditetur, & diuinæ bonitati de infinita charitate, qua erga Populum Chriſtianum Deus vſus eſt toto corde gratias agat. Poſt communionem nemo ſtatim ab Eccleſia diſcedat; ſed in oratione aliquantiſper, omnes permaneant officijs, & operibus pietatis eo die præcipuè incumbãt,ac denique Chriſto hoſpiti ſanctiſs.exercitationibus,atq, actionibus aſſiſtant.

CAP. V.

AD ſacram autem non admittantur Communionem Hæretici, Excommunicati, Interdicti, publicè criminoſi, manifeſtèque infames, vt meretrices, publici concubinarij, fœnatores, Magi, Sortilegi, Blaſphemi, viri item, & fœminæ coniuges ſine iudicio Eccleſiæ ſeparatim viuentes, ij tamen, quorum culpa id euenit, & alij id generis homines, quos in peccato mortali aliquo ſordeſcere publicè patebit. Pueris item, qui propter ætatis imbecillitatem, huius magni Myſterij adhuc ſunt ignari ſanctiſſima non miniſtrabitur Euchariſtia; niſi aliquot antè diebus eos Parochus examinauerit, & de vi, & ratione tanti Sacramenti inſtructos tales eos repererit, vt eiuſdem altiſſimi Myſterij notitia debitam pietatem in ipſis excitare poſſit, Amentibus etiam hoc Sacramentum denegabitur, dum in extremo vitæ periculo non ſint conſtituti, & antequam in inſaniam inciderent piè, ac religioſè animi voluntatis ſigna non præſtiterint.

Et illis, qui capite ſunt damnati, ſanctiſſima poterit tunc dari Euchariſtiæ, ſi per quatuor ſaltem horas ante ſupplicium illis exhibeatur, vel cum Iudice fuerit actum, vt quo die illi Corpus Domini ſumpſerint, extremo non afficiantur ſupplicio.

CAP VI.

OMnis vtriuſque ſexus fidelis prædictis tantum exceptis, reuerenter ad minus in (Paſchate ſicut Eccleſiæ præcepto cautum eſt) Euchariſtiæ Sacramentum à proprio ſuſcipiat Parocho. Qui fraudem fecerit ex præſcripto ſacrorum Canonum ſeuerè punietur, & ne aliquis ſe occultare ſperet, ſed vt omnes, qui Eccleſiæ mandatis pare-

re

re neglexerint innoteſcant, & debitis coarceantur pœnis. Omnibus animarum Curatis diſtrictè præcipimus, & mandamus, vt à Dominica Paſſionis ad Feriam quintam in Cœna Domini domos ſuæ Parochiæ oſtiatim inquirant, & nomina Parochianorum omnium in ætate ad ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumendam legitima conſtitutorum in aliquo libro deſcribant. Deindè à Dominica Palmarum, vſque ad totam diem Dominicam in Albis ſingulis communicantibus ſingulas ſchedulas, quibus impreſſa ſint aliqua præſcripta ſigilla, & numerus currentis anni inſcriptus ſit in ſignum ſumpti Sacramenti conſignent. Die verò Dominicæ in Albis tranſacto oſtiatim iterum domos adeant, ſchedulas repetant, & quos ſchedula carere repererint, vt Eccleſiæ præcepto inobedientes notent; & demùm notulam omnium huiuſmodi inobedientium ad Vicarium noſtrum Generalem tranſmittant, quæ fuerint ab eo mandata executuri. Interim autem quos habuerint præſtituto Paſchæ tempore non communicatos, eadem die Dominica in Albis ad Altare ad infraſcriptæ formulæ tenorem monebunt, & idem etiam contra eos obſeruabunt, qui abſentes à Parochia cum redierint ſe communionem in ea Parochia, in qua tempore Paſchatis degebant ſumpſiſſe teſtatum legitimè non fecerint, & in propria Parochia communicare diſtulerint.

Formula monitionis, vulgari tamen ſermone explicanda.

OMnes, & ſinguli Parochiæ noſtræ fideles legitimæ ætatis, qui in Paſcha, ex Pręcepto Sanctæ Matris Eccleſiæ ſacram Communionem ſumere debent, & nondùm ſumpſerunt, nunc monemus, vt intrà hanc Hebdomadam, aut Dominica proxima ſequenti Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum confeſſi ſumant. Alioquin illos, qui ad conſtitutam eam diem id non præſtiterint, ad Reuerendiſſimum Archiepiſcopum deferemus, vt mox ingreſſu Eccleſiæ, Eccleſiaſticaque ſepultura interdicti inter Miſſarum ſolemnia denuncientur, valuiſque Eccleſiæ Parochialis nomina eorum affigantur; atque hanc quidem vnicam monitionem pro tribus, ſatis vobis eſſe edicimus.

CAP. VII.

DVm Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Eccleſijs Populo adminiſtrabitur adſiſtant ad minus ſemper duo Clerici, & vel per ipſos mappa munda manibus extenſis teneatur ad pectus communicantium, vel ſuprà cancellos ante Altare, aut ſupra ſcabella extendatur, luminaria parua ſuper Altare, & maiora in candelabris magnis extrà Altare ſint accenſa. Purificatio in aliquo decenti vaſe, non tamen figuram Calicis repręſentante, ijs qui communicauerint præbeatur. Et cum adminiſtranda erit Euchariſtia intrà celebrationem Miſſæ, adminiſtretur ſemper poſt ſumptionem Calicis, antè primam purificationem. Cum autem extrà celebrationem Miſſæ, Sacerdos

San-

Digitized by Google

Sanctiſſimum adminiſtrat Sacramentum, habeat ſemper ſuperpellicium cum ſtola. Particulę conſecratæ quolibet octauo die renouentur, & quę denuò conſecrantur, non ante quindecim dies ſint confectę.

Quando fit Communio Generalis ad vnum Altare communicentur; viri, & ad aliud mulieres, ſed hęc Altaria ſint in oppoſitis Eccleſiæ partibus, nè in eundo, & redeundo ſibi inuicem obuient, & ſi ad Altare Sanctiſſimi Sacramenti Communio adminiſtretur, quando non erit magna frequentia Populi, vt in Dominicis, & feſtis per annum, ſtent viri à parte Euangelij, & à parte Epiſtolę mulieres, Cancellorum oſtio libero permanente, itaut nemo ibi genua flectat. Viri, enſibus, & omni armorum genere depoſitis, Cęleſti menſę ſe offerant, fœminę ſine fuco, modeſtiam, atque honeſtatem omnem pręſeferre conentur: Omnes tandem cum timore, & tremore ad Cęnam Domini accedant illud memorię recolentes, quod ſi veſte nuptiali innocentiæ nullatenus veſtiti, ad Cæleſtis Regis nuptias diſcumbere auſi fuerint, in tenebras exteriores mittentur, æternos fletus, & inferni ſupplicia perpetuò paſſuri.

CAP. VIII.

IN quacunque Parochia inſtituatur ſocietas Corporis Chriſti, & eius Confratres cum ſuis faccis quotquot audierint ſignum Campanæ, cum Sanctiſſima Euchariſtia ad infirmos eſt deferenda conueniant, & illam aſſocient, Presbyteri etiam, & Clerici omnes qui potuerint Campanæ ~~citus~~ ictus audire, aut legitimè non fuerint impediti cum ſuis cottis bini, & bini procedentes Sacramentum in eundo, & redeundo comitentur, & qui neglexerint grauiter punientur, idem faciant, & laici, qui erunt in Eccleſia,

&

& qui obiauerint in via, etiam ſi equitauerint deſiliant,& Regum Regi debitam non deſiſtant exhibere ſeruitutem, perfunctus autem deferendi Sacramenti munere Sacerdos, vbi ad Eccleſiam redierit, fidelibus, qui aſſociando præſentes fuerint, quam ex illo pietatis officio conſecuti ſint, Indulgentiam denunciet, paucis verbis eos cohortans, vt in religioſo eo inſtituto ſanctè perſeuerent, Sodalitatibus quoque Corporis Domini Indulgentia à Paulo Tertio Pontifice Maximo conceſſa ſæpè promulgetur, & crebris cohortationibus fideles incendantur, vt frequentiores illæ vbique locorum inſtituantur, inſtituteque debitum munus obeant.

CAP. VIII.

ET quotieſcunque ad ægros ſanctiſſimum deferri Sacramentum contigerit, illi tantum Sacerdotes deferant, qui facultatem confeſſiones audiendi habeant, adſint Vmbella, duo luminaria ex ære ſtamneato contis deauratis, ſeù depictis inſigenda, & quatuor faces magnæ cereæ ad minus, quæ ante ſanctiſſimum Sacramentum præferantur; Sacerdos verò ſuperpellicium, ſtolam, & pluuiale induat, & velum circà collum habeat, cum ipſo manus, & pixidem cooperiat, & graui greſſu ſub Baldacchino incedens, ſemper inſpiciat ſanctiſſimum Sacramẽtum, Preces, & Pſalmos recitet, & alia omnia, quæ in alias dicto Rituali nouo Romano diſpoſita ſunt, exactè ſeruet, quod ſi ad loca acceſſu difficilia, vel noctu, aut hiemali tempore via præcipiti, ac lubrica deferendum erit Sacramentum, habeatur vaſculum in forma capſulæ formatum, in quo particulæ conſecratæ referentur, & burſa decenter ornata, quæ à collo pendeat includatur, vt Sacerdote forſan labente, Sacramentum ad terram non poſſit decidere, &

tunc

tunc illæ ſolum deferantur particulæ, quę ad infirmos ipſos tantum communicandos ſufficiant; Sacerdos verò ad Eccleſiam redeat ſuperpellicio exutus, ac luminaribus extinctis.

CAP. X.

AD Proceſſiones, quæ ſingula quaque tertia Dominica Menſis in honorem huius Altiſſimi Sacramenti haberi ſolent, conueniant omnes Confratres ſocietatis eius Nominis; in ſacra verò ſolemnitate ſanctiſſimi Corporis Chriſti, maiori qua poterit deuotione, reuerentia, & apparatu, ſolemnis fiat Proceſſio. Vniuerſus Clerus, & Populus, Regulares quoque cuiuſuis Ordinis, illis dumtaxat exceptis, qui in arctiori clauſura perpetuò viuunt, aut alias ſunt exempti ex Priuilegio, & omnes locorum ſocietates conueniant. Si quis id negligat, pœnis arbitrio Noſtro imponendis compellatur. Nihil ludricum in vijs, per quas Proceſſio tranſibit interponi permittatur, picturæ profanæ, & ſtatuę, laruis, & veſtibus accomodatæ, etiam ad hiſtoriam ſacram repręſentandam, ob periculum excitandi quandoque riſum procul ſint; pannis ſericeis, ac laneis prout cuiuſcunque vires patiuntur, ac ſaltem ramis, & frondibus, Sanctorum Imaginibus, & picturis ſacris, hinc indè muri ornentur, via floribus ſternatur. Omnia denique ad præſcriptum Ritualis ordinentur, vt memoriam inſtitutionis tam ſalutiferi, tamque mirabilis Sacramenti, & in eo Diuinam Saluatoris Noſtri præſentiam, quam propter emicantem indè ſplendorem, ne Angeli quidem liberè audent intueri, non ſolum interno cordis affectu; ſed externis etiam modis piè, ac humiliter recolamus, & veneremur.

CAP.

CAP. XI.

QVo autẽ religioſius ſanctiſſimi Corporis Chriſti Domini, ſolemnitas celebretur, & pietatis operibus, Indulgentias à Summis Pontificibus Vrbano Quarto, Clemente Quinto, Martino Quinto, item & Eugenio Quarto conceſſas, Populus Nobis commiſſus maiori induſtria conſequi feſtinet. Parochorum cura ſit die Dominico ſolemnitatem præcedente, hęc paterna charitate omnes præmonere, atque hortari, prout Sanctus Carolus ſuos admoneri edocuit. Primò, vt confeſſi, vel in ſolemnitate, vel infra Octauam ſacram Communionem ſumant, deindè in orationibus, & charitatis exercitationibus verſentur. Pridiè ſolemnitatis ieiunent.

In ſolemnitate, & reliquis deinceps ſeptem diebus ad Veſpertinum, & Matutinum, aliarumque Canonicarum horarum Officium, & Miſſæ ſolemnis ſacrum frequentiſſimi conueniant, Proceſſionemque ſolemnem item ſupplices obeant.

Vtque ad huiuſmodi pietatis officia fideles magis inflammentur, per eoſdem Parochos infraſcriptæ Indulgẽtiæ ab eiſdem Pontificibus vnicuique verè pœnitenti, & confeſſo datæ euulgabuntur.

Ieiunantibus pridiè ſolemnitatis Indulgentia conceſſa annorum centum.

Præſentibus in Veſperis primis Indulgentia annorum etiam centum.

Ijs, qui in ſolemnitate Miſſæ ſolemnis ſacro interſunt, Indulgentia annorum totidem.

Qui in Matutino aderunt, ijs indulgentia annorum totidem.

Qui in ſecundis Veſperis intererunt, ijs quoque data Indulgentia, totidem annorum.

Qui

Qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Completorij officijs aderunt, Indulgentia ijs datur quadraginta annorum pro ſingulis horarum officijs.

Qui intrà octauam Veſpertino, Matutinoque officio, & Miſſæ ſolemnis ſacro aderunt Indulgentia item datur annorum centum.

CAP. XII.

De Oratione Quadraginta Horarum.

Religioſum Eccleſiæ inſtitutum orandi antè ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, publicè expoſitum, vel Quadraginta horarum, vel alio breuiore ſpatio pro Epiſcoporum arbitrio ſalutari animarum fructu retineri volentes, ſtatuimus, vt ſaltem bis in anno, Dominica ſcilicet prima Aduentus, & altera Paſſionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti Proceſſionali ritu, luminibus pluribus accenſis, & Litanijs, ac ſtatis Orationibus, & Antiphonis ſanctiſſimum Sacramentum circumeundo, Eccleſiam è tabernaculo exponatur; & per Horas Quadraginta in eius conſpectu oratio fiat. Cerei interim in Altari accenſi ad minimum ſex colluceant, lampades itidem plures, duo ſemper Sacerdotes, aut ſaltem Clerici in ſacris, aut minoribus ordinibus conſtituti, vbi Sacerdotum exiguus eſt numerus, ſuperpellicio induti, orantes aſſiſtant. Noctu autem oratio intermittatur, & interdiu orantes proſequantur preces, quouſque integrum Quadraginta horarum orandi ſpatium fuerit compenſatum; fęminæ ſemper à maribus ſeparatæ, tabularum, vel alterius rei interſepto adhibito orent. Omnes denique deuotè, ac religiosè ante Diuinæ Maieſtatis conſpectum acce-

dant, vt orantes exaudiri mereantur, & propitium peccatis ſuis Omnipotentem Dei filium inueniant. Nulla verò alia publica oratio antè ſanctiſſimum Sacramentum expoſitum in aliqua Eccleſia, niſi de Noſtro conceſſu extrà ordinem conſtituatur.

De Celebratione Miſſarum. Cap. XIII.

IMmaculata illa glorioſiſſimi Corporis Chriſti Hoſtia, quæ pro peccatis, ſine quibus mortalis infirmitas viuere non poteſt, quotidiè à Deo Patri myſticè immolatur, & repræſentatur, quam maxima cordis puritate, animi reuerentia, & deuotione tractari debeat, Apoſtoli verba, ſacri Concilij Tridentini Decreta, & omnia ferè Sanctorum Patrum eloquia ſatis declarant: Nullus igitur Sacerdos mortalis peccati ſibi conſcius, niſi ſacramentali præmiſſa confeſſione ad celebrationem Miſſæ accedere audeat, quem enim ſecus attentaſſe compertum fuerit grauiter puniemus, quod ſi neceſſitas celebrandi aliquando vrgeat, & Confeſſor non adſit, de commiſſis ſaltem cum propoſito confitendi, contritionem habeat, & poſt celebrationem quamprimum cum effectu confiteatur.

Et quia Sacerdotis animam ſolaribus radijs puriorem eſſe oporteret, hortamur, & enixè rogamus omnes Sacerdotes, vt à peccatis etiam venialibus (quantum humana fragilitas patiatur) ſe abſtineant, animam enim quamuis non occidant, neglecta tamen, & per diſtractionem vitæ diſſolutæ, ac malæ cõſuetudinis multiplicata, charitatis feruorem impediunt, hominem deſidem, & ineptum ad celebrandum reddunt, Veterator enim malorum diabolus à minimis plerunque incipit, & cum radix mali euulſa

non

non fuerit, magnus labor indè ſuccreſcit.

CAP. XIV.

REcogitent noſtri Sacerdotes antequam ad Altare accedant, quanta commiſerint, cogitatione, verbo, & opere, quanta omiſerint, quæ bona facere poterant, & debebant, & ad ſpiritualem Patrem accedentes non ſolum opera, ſed & peruerſas cogitationes, quarum delectatio mentem maculat enarrent, deindè ſe colligant, & Diuinam Maieſtatem, & propriam miſeriam ſecum reputent, quam magnus ſit Dominus, & quam paruus eſt ſeruus, imò vanus, & inutilis, cogitent qualis fuerit erga hominem dilectio Dei, qui carnem noſtram aſſumere voluit, & in ea tam turpia, & viliſſima ſuſtinere, meditentur inęſtimabilem amoris ardorem, qui Chriſtum pro redemptione peccatorum Cruci affixit, ruminent, quod illam nobilem Carnem in Ara Crucis immolatam pro nobis dignatus eſt dare in Cibum, & Sanguinem eius de latere ſuo effuſũ in potum, tunc illius admirabilis Sacramenti magnificentiam, & amoris Diuini immenſitatem attentiùs conſiderent, quali fuerint ipſi honore inſigniti animo vertant, & cum omnia benè ruminauerint, dulcedine quadam cæleſti ducti, humiliter, & reuerenter ad celebrationem Miſſæ accedant, Panem in Corpus, & Sanguinem Domini Noſtri Ieſu Chriſti iuxtà ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ cõuertere profiteantur, & Miſſa peracta, de accepto pignore ſalutis ęternæ omnipotenti Deo gratias deuotiſſimè referant.

CAP. XV.

ILlud autem caueant Sacerdotes, ne cum Sacerdotalia veſtimenta induti fuerint Miſſam celebraturi, per

H 2 Sa-

Sacriſtiam diſcurrant, vel colloquantur, aut (quod peius videretur) in riſum, aut ſcurrilitatem, quæ ad rem non pertinent prorumpant. Miſſam, quam dicturi ſunt prælegant; ſi quæ dubia, vel circà Miſſam, vel circà verborum prolationem habuerint, peritiores conſulant, omnia quæ in Altari ſunt neceſſaria, antequam è Sacriſtia exeant parari ſtudeant, ſignacula ſuis locis in Miſſali diſponant, vt inter celebrandum tempus quęritando quid, quo vè loco, dicendum ſit non conterant. Hoſtiam ad ſacrificium à fragmentis extergant, accuratè omnia demùm ita præparent, vt cum Miſſam incęperint, nec illorum mentes à deuotione auertantur, nec adſtantibus imperiti videātur.

CAP. XVI.

IN eundo autem ad Altare, & redeundo ad Sacriſtiam grauiter, & modeſtè dimiſſis oculis incedant; antè ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum genuflectant; ſi Prælatum ſuum offenderint, profundè caput inclinent; & in Altari, ea quæ alta voce dicenda ſunt, diſtinctè ita proferant, vt audiantur; neque tarditatem, aut velocitatem affectent; ſacrum Canonem non memoriter recitent, ſed legant, & in verbis Conſecrationis omnem attentionem adhibeant. Cęremonias, & Cruces iuxtà rubricas Miſſali facere ſtudeant. Calopodia (quæ vulgo zocchulos dicunt) nunquam ad Altare deferant; veſtes decoræ ſint, & pro temporum, & feſtorum dierum varietate iuxtà Eccleſiæ morem colores mutentur: quæ vſu nimis conſumptæ fuerint, derelinquantur, vel comburantur, vel in alios tantum Eccleſiæ vſus conuertantur. Albæ, atque alia linea indumenta, tam in Altaribus, quam pro Sacerdotum perſonis, munda ſint, & nitida; Vinum ſi fieri poterit omninò ſit album, non rubrum, nigrum vè, ne ſordidis illius

vini

vini maculis Corporalia, & Purificatoria inquinentur, Patenæ item, & ſacri Calices puri cuſtodiantur, & ſæpiùs lauentur, vt ſanctitatis, & puritatis internæ, ea etiam, quæ ſunt exteriùs ſigna præbeant, & in animos eorum, qui ſacris interſunt deuotionem, ac venerationem inijciant.

CAP. XVII.

CLericus celebranti miniſtrans, decenti, & ab omni ſorde mundo ſuperpellicio non lacerato vtatur. Sacerdotis biretrum ſuper Altare nunquam deponat: Ampullas cum vino, & aqua, linteolum ad abſtergendas manus, intortitiũ, & tintinnabulum pro ſanctiſſimi Sacramẽti eleuatione ante præparet, ne turpè ſit illi Sacerdotem inter Miſſę medium derelinquere, & huc, atque illuc ad neceſſaria perquirenda per Eccleſiam diſcurrere.

CAP. XVIII.

QVicunque ad Sacerdotium nouiſſimè fuerit euectus, antequam Miſſam celebret, noſtram, vel Vicarij Noſtri Generalis licentiam omninò exquiret. Nemini autem licentia concedatur, niſi priùs examine diligenti conſtiterit, tremendi huius ſacrificij Myſteria intelligere, Rubricas Miſſalis prę ſertim ſub titulo de Defectibus Miſſæ poſitas, & cęremonias eius omnes exequi ſcire: quas vulgari editas lingua ſub eadem forma, quæ circumfertur in Vrbe pro faciliori Sacerdotum iuniorum inſtructione, ſingulis noſtræ Diœceſis Curatis conſignauimus.

Et cum ex prę ſcripto ſacræ Tridentinæ Synodi, Ordinarij locorum ea omnia de medio tollere teneantur, quæ vel auaritia, vel irreuerentia induxerit, & à tanti ſacrificij di-

dignitate aliena ſint. Propterea commeſſationes, conuiuia, choreas, & alia huiuſmodi, quæ ad oblectamenta potiùs mundi, quam ad cultum Diuinum inclinant, diſtrictè prohibemus, & eas ſolum Eleemoſynarum exactiones in prima Miſſa permittimus, quæ nouo Sacerdoti in imo Altaris gradu conſiſtenti, nullatenus autem per Eccleſiam vaganti, ſpontè contigerit elargiri.

CAP. XIX.

VBi plures in eadem Eccleſia Miſſę eodem tempore celebrandæ fuerint; Sacerdotes Altaribus ita diſtinctè aſſignentur, vt inuicem ſe perturbare non poſſint. In duobus autem Altaribus è regione poſitis nunquam eodem prorſus tempore celebretur, ne ſacrificio Miſſæ præſentes, auerſa terga celebrantibus habere cogantur. Miſſæ pariter omnes debitis interuallis eo diſtribuãtur ordine, vt in Aurora ſemper pro operarijs, vel iter acturis prima celebretur Miſſa, & reliquę ita diſponantur, vt poſt Conuentualem vltima ſaltem illis deſeruiat, qui aliquo impedimento detenti ad Eccleſiam tardiùs accedere conſueuerunt. Et circà diſtribuendas Miſſas obſeruetur regula, & ordo à Nobis præſcriptus in Capite primo, ſub titulo de Sacriſtia, & eius Pręfecto.

CAP. XX.

NVllus in priuatis Laicorum Oratorijs, etiam ſub cõſuetudinis, aut Apoſtolici priuilegij prætextu, niſi de Noſtra, vel Vicarij Noſtri Generalis licentia Miſſam celebrare audeat; in publicis autem Confraternitatum Oratorijs, Miſſa tunc demùm Dominicis, & alijs feſtis diebus celebretur, quando in maiori Eccleſia Miſſa principalis, & con-

concio abſoluta fuerit; ſi quis Sacerdos etiam Regularis contra Decretum hoc noſtrum attentauerit, & Carcerũ, & alijs arbitrio noſtro mulctis punietur.

CAP. XXI.

QVod accuratè admodumque piè per Anteceſſorem noſtrum bonæ memoriæ D. Scipionem Geſualdũ ſancitum fuit, omninò obſeruetur. Nemo dum Miſſæ ſacra peraguntur in Eccleſiarum foribus, vel antè illas ſtare audeat, illud quiſque fidelis mente repetens, Eccleſiam eſſe domum Dei Altiſſimi diuinis Myſterijs dicatam, in qua ad orandum conueniant: ideò videat ne quid in ea, neque adeò in foribus eius indecorè agat, quod eius loci ſanctitati aduerſetur.

Abſtineat propterea quiſque dum Miſſa celebratur cõfabulationibus, riſu, & omnia alia indecora actione, ſed ſe ad eam piè, religioſèque audiendam componat in tanti myſterij contemplatione defixus, qua incenſus ſi non ſacramentaliter, ſpiritu ſaltem, & deſiderio, votoque ſacram Euchariſtiam percipiat.

Ne verò quis ita ad Altare propius accedat, nec intrà Cancellos quidem Sacelli, dum Miſſæ ſacrum fit, ingrediatur, neque item Altari, in quo ſacrum agitur auerſus interſit; omnes denique in Miſſa priuata capite aperto flexis genibus cum veneratione ſemper aſſiſtant, niſi iuſto impedimento detineantur, & dum Euangelium recitatur, illud ſtando maximè à viris audiatur, in Miſſis autem ſolemnibus ab eleuatione Corporis Domini vſque ad communionem non niſi flexis genibus manere cuique liceat, ſecùs verò facientes grauiter corripiantur.

CAP.

CAP. XXII.

SAcrorum Canonum Decretis, & Tridentinæ Synodi auctoritate adducti, populum fidei noſtræ commiſſum monemus, vt Dominicis, feſtiſque alijs diebus, qui Pręcepto Eccleſiæ ſeruantur, ad Miſſæ ſacrum in ſuam quiſque Parochialem Eccleſiam conueniant, vt à Parocho cui propriè eius cura commiſſa eſt, fidei Chriſtianæ rudimentis, ſalutaribuſque alijs animarum ſaluti neceſſarijs pręceptis erudiatur, tum ab eodem item audiat, qui dies Feſti, ſi qui in hebdomadam inciderint colendi, quę Vigiliæ, Ieiunaque ſeruanda ſint, quę ſupplicationes, Proceſſionesvè indicantur, quę prętereà Nuptiarum denuntiationes fiant, quę etiam alia Archiepiſcopi iuſſu denuntientur, quę à populo fideli ſeruari oporteat. Vt autem id à populo pręſtetur, Parochis noſtris pręcipimus, vt quam ſępiſſimè huius debiti officij illum cohortentur, Parochi etiam curent, & crebrò patres familias moneant, atque hortentur, vt quos famulos, vel filios fortaſsè in beſtijs paſcendis occupant, eos ſaltem Feſtis diebus Miſſæ ſacro intereſſe iubeant.

Mulieres non ſolùm nuptas, & nubiles, Parochi monitionibus crebris ad Miſſas audiendas inducant, ſed luctuoſas etiam ad hoc, cenſuras comminando cogant, ac eas nunquam increpare deſiſtant, quæ ſuorum morte dolentes, quaſi parum de reſurrectione, futuraque vita ſperantes non modo lugere non ceſſant, ſed ſe ipſas diù in animarum perniciem à Diuinorum auditione ſequeſtrant. Doceantque illas Defunctorum animas orationibus, eleemoſynis, ieiunijſque iuuandas, non ſic perpetuò inaniter eſſe deflendas. Vt conditionē humanę mortalitatis edoctæ, omneſque in mundo natos eſſe mortales, ſe in reſurrectionis expectatione confirment.

CAP.

CAP. XXIII.

GRauiſſimè peccat homo Chriſtianus, ſi vt eſt Eccleſiæ prçceptum, feſtis diebus Miſſæ ſacro non interfuerit, itaque cum hoc maximè prçſtare debeat, tum illud etiam omninò curet, vt propitiatorij illius ſacrificij, quo Deus nobis placatus, & propitius redditur, ſalutarem fructum capiat, quem ex ipſius Dei benignitate ipſe conſequetur, ſi tantò myſterio adeſſe ſtuduerit, animo à mortiferis peccatis puro, atque integro, & mente item ne illius quidem perturbationis veneno infecta. Quare & Parochis noſtris iubemus, & Concionatores hortamur in Domino, vt populum fidelem non ſolùm doceant Dei, & Eccleſiæ prçcepta ſeruanda eſſe, ſed modum etiam ei tradant, quo ea ex Dei voluntate ſeruari oporteat. Cum igitur de Miſſæ ſacro audiendo illum commoneant, tunc eam illius prçcepti ſeruandi rationem cuique Chriſtiano homini ineundam eſſe doceant, vt ſigno Campanç dato, quo fideles ad Miſſæ ſacrum vocantur, vnuſquiſque conſcientiam excutiens, ſi alicuius mortiferi peccati ſe reum cognouerit, abiecta omni peccandi voluntate, & conſenſu, ſupplex à Deo veniam petat illius peccati, cuius labe ſe inquinatum ſentit, ità vt etiam ſi illud tunc Sacerdoti non confiteatur, ſummo ſaltem dolore ex eo affectus, viteque emendandæ certam, & ſtabilem cogitationem ſuſcipiens, verç contritionis virtute, à Domino dum ſupplex Miſſæ ſacro intererit, delictorum ſuorum veniam, & gratiam conſequatur.

CAP. XXIV.

VT pijs animæ fidelium non defraudentur ſuffragijs, & grateſijs, qui de nobis benemeriti ſunt debitæ

rependantur: qualibet ſecunda Feria in noſtris maioribus Eccleſijs ſtatim poſt primæ recitationem, ſigno Campanæ dato, Miſſam pro Defunctis cantari volumus, poſteà verò hora ſolita Conuentualis etiam celebretur, quod ſi dies feſtus in Feriam illam incidat, tunc Feria quarta, vel ea pariter impedita, Sexta feria omninò exoluatur; habeant prętereà omnes Eccleſiæ librum, in quo Anniuerſariorũ, ac aliorum perſolutionis onerum ad quę ex Defunctorum diſpoſitionibus tenentur dies ſint deſcripti. Et in qualibet Eccleſiarum Sacriſtia tabellæ affixæ pendeant, quę Anniuerſaria omnia ſingulis menſibus, aut diebus per annum ſolemniter celebranda contineant, ac priuatarum etiam Miſſarum numerum, quas ex legatorum piorum onere Capitulum, & cęteri Sacerdotes celebrare tenentur deſcriptum diſtinctè habeant. Miſſarum ſolemnia Anniuerſaria in ſequenti recitanda hebdomada, Parochi populo ſuo denuncient. Vt pręſentes ad pietatis ſtudia ſuorum prędeceſſorum exemplis alliciantur, & Sacerdotum noſtrorum ſolertia, & charitate ad eadem pręſtanda opera inflammentur. Curent autem ij, qui prædictis conficiendis tabellis pro tempore prępoſiti erunt, vt in fine cuiuſcunque hebdomadæ omnia ex tabellarum pręſcripto ritè fuiſſe adimpleta Nobis referre, ac oſtendere poſſint. Sępius enim de his rationem nos eſſe exquiſituros promittimus. & quos in huiuſmodi pio admodum miniſterio negligentes inuenerimus, grauibus arbitrio noſtro reſeruatis pœnis mulctabimus.

CAP. XXV.

SIcut autem Decreta S. Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium Concilij Interpretum, & Papæ Vrbani Octaui auctoritate edita de celebratione Miſſarũ,

&il-

& illarum perpetuis oneribus ſine licentia Ordinarij non ſuſcipiendis exactè obſeruari volumus, ſic etiam Conſtitutioni Synodali à fel. record. prçfato Anteceſſore D.Scipione Geſualdo ſuper Miſſarum reductione, & illarum eleemoſynarum taxatione derogare non intendimus, ſed eam in ſuo robore permanere decernimus, cuius tenor eſt. In omnibus ferè Diœceſis Eccleſijs, & Cappellis intantum creuit Miſſarum celebrandarum, atque Anniuerſariorum numerus Defunctorum relictus, vt illorum diſpoſitionibus, ac voluntatibus debitè ſatisfieri nequeat, adeòque ſunt tenues eleemoſynæ ea occaſione relictæ, vt faciliter negligantur. Propterea à ſacra Tridentina Synodo facultate Nobis tributa prędictas Miſſas quas vltima voluntate teſtatores prçſcripſerint, in hac Diœceſana Synodo imminuimus, atque reducimus, hocque non eſſe intelligendum de Miſſis in fundatione impoſitis, ſed de relictis, & ſic decernimus, vt pro legatorum, & alias piorum relictorum modo, & quantitate, ea ratione Miſſæ, atque Anniuerſaria reducantur, prout pręſenti Decreto reducimus, vt pro Miſſis ſingulis carolenus vnus, pro ſingulis Anniuerſarijs grana quinque Sacerdotum cuilibet attribuantur, ita tamen, vt ſingulis Miſſis eorum Defunctorũ commeratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute, legata ad pios vſus reliquerint.

Hortamur autem Chriſtifideles, vt Sacerdotum neceſſitatibus charitatis ſubſidia conferentes, quò largiùs poterunt pro celebrandis Miſſis eleemoſynas prębeant, cum non deceat eos, qui tantò dignitatis honore pręfulgent cum dedecore mendicare: caueant tamen Sacerdotes pro Miſſarum celebratione ne quid petant, vel importunè exigant, ne ſimoniacæ labis retibus inuoluantur.

De Pœnitentia. Caput I.

PEregrinum opus, & ſaluberrima fuit ſacramenti Pœnitentiæ inſtitutio, quam Cęleſtis Redemptor ad redimenda peccata, & ad ſaluandas animas verè pius, & miſericors prępararedignatus eſt, vt enim confractæ Naui, vnum vitæ ſeruandæ perfugium eſt, tabulam aliquam ex naufragio arripere, ita poſt amiſſam Baptiſmi innocentiam, ſi peccator ad ſecundam tabulam non confugerit, & pœnitentiam non egerit ſine dubio peribit, intueatur igitur vnuſquiſque fidelis humanæ naturæ imbecillitatem, & cum eam in ſe ipſo expertus fuerit, ſummam Dei benignitatem admiretur, & collaudet, qui tanquam bonus Paſtor ouium ſuarum vulneribus hoc ſalubri medicamento conſuluit; Parochi autem pœnitentiæ neceſſitatem, & per eam nos in gratiã Dei reſtitui, quo nihil nobis debet eſſe optatiùs, conſcientiæ pacem, & tranquillitatem, quæ omnes ſuperat voluptates, alioſque ſuauiſſimos huius Sacramenti fructus populis ſępius explicent, ac proponant, vt ad tantum remedium, beneficiumque animæ comparandum non ſemel in anno, vt ex pręcepto Eccleſiæ tenentur, ſed quam frequentiſſimè ſeſe excitent, & accendant.

CAP. II.

DOceant etiam Paſtores populum ſuum, quæ ſint neceſſaria ad Pœnitentiæ ſacramenti fructum, & effectus conſequendos, veram ſcilicet cordis contritionem, humilem, ſimplicem, & integram oris confeſſionem, nec non cumulatam operis ſatisfactionem, quonam verò modo

do

do vera cordis contritio acquiratur, qualis eſſe debeat vera confeſſio, quis ſit verus Deo, & hominibus ſatisfaciendi modus; & demùm, quæ ſint harum partium cauſæ, conditiones, vires, fructus, & vtilitates, tum ex ſacri Concilij Tridentini Decretis, tum ex Catechiſmi doctrina colligentes, ea omnia inter Miſſarum ſolemnia ſępè declarent, & exponant, vt peccator quiſque rudis etiam, & ſimplex ſua ediſcat peccata deflere, confiteri, & ad effugiendas diuinæ Iuſtitiæ emeritas pœnas rectè pro viribus ſatisfacere.

CAP. III.

ET cùm huius Sacramenti miniſterium in Sacerdotis miniſtri peritia, & prudentia maximè conſtet, nullus ſiuè Secularis, ſiuè Regularis Sacerdos, qui Parochiale beneficium non obtineat, confeſſiones audire, & ſacramentum Pœnitentiæ adminiſtrare pręſumat, niſi à Nobis ad id munus examine pręuio approbatus, vel alias idoneus facultate inſcriptis obtenta iudicatus fuerit. Aduertant propterea Vicarij Foranei, atque Parochi, quos in ſuis Terris habeant Confeſſarios, & de illorum approbatione non ſolùm ab ipſis, ſed etiam à Vicario Generali Noſtro, apud quem approbatorum nomina in Album erunt annotata, ſępè ſciſcitentur, vt contra formam datæ approbationis nihil permittatur, quodcunque enim contra hanc Synodalem noſtram Conſtitutionem, aut negligentia, aut dolo malo commiſſum fuerit, noſtræ ſeueritatis iudicio graui eorum damno emendabitur, & punietur.

CAP.

CAP. IV.

CONfeſſarij à Nobis approbati perlegere, non dedignentur ea, quæ in Rituali nouo Romano ſub titulo de ſacramento Pœnitentiæ tam in Nigro, quam in Rubro deſcripta ſunt, plurima enim ad eorum inſtructionem, & huius Sacramenti exercitium ordinata inuenient, quæ memoriæ demandare, & obſeruare debeant. Illud autem in primis antè oculos habeant, vt ab omni mortalis peccati labe ſe puros (adiutrice diuina gratia) conſeruent, tum etiam, atque etiam caueant, vt auaritiæ, aut ſimoniæ non modo vitium, ſed ſuſpicionem ipſam omnem, vel minimam fugeant, ad audiendas confeſſiones nullo humano affectu ducti, ſed ſalutis fidelium procurandæ tantum ſtudio, accedant, & ideò neminem verbis, aut nutu reijciant, imò ſe promptos, & faciles omnibus præbeant, in huius Sacramenti adminiſtratione nihil nec anteà, nec poſteà exigant directè, vel indirectè, nec aliqua ſignificatione petant, qui ſecus egerit ſuſpenſionem à diuinis incurrat.

CAP. V.

POenitentes benignè recipiant, antè confeſſionem placidè illos exhortando, vt peccata omnia integrè confiteri non vereantur, ac ſtultam omninò repellant verecundiam, quam humani generis antiquus hoſtis mulieribus præſertim, & pueris, vt à pœnitentia illos arceat, inducere ſolet. Perquirat etiam Sacerdos confeſſionem auditurus, ſtatum pœnitentis, ſi eum non norit, quamdiù ſit ex quo non fuerit confeſſus, an pœnitentiam præſtiterit impoſitam, vel negligenter implere omiſerit. an peccatum in præcedentibus confeſſionibus aliquod ita ſcien-

ter

ter occultauerit, vt ſequentes aliæ reiterandæ veniant confeſſiones, an conſcientiæ ſuæ examinandæ neceſſariam adhibuerit diligentiam. An aliquo excommunicationis vinculo detineatur. An crimen aliquod Apoſtolicæ Sedi, vel Archiepiſcopo reſeruatum commiſerit. Et ſi quos rudes Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Articulos fidei, & Decalogi pręcepta exiſtimauerit ignorare, Confeſſarius efficiat, vt ipſo audiente omnia recitent, & quem opus fuerit edoctum dimittat, vel ad ſe toties accedere curet, vt explicitè, & intelligenter; non autem quaſi recitantem ea ſcire cognoſcat. Peccata deindè omnia, & ſingula iubeat pœnitentem ore proprio confiteri, eundemque pœnitentem prout expedire videbit patientia, & manſuetudine Confeſſarius adiuuet. Circumſtantias peccati valdè aggrauantes, & eas maximè, quæ peccati ſpeciem mutant inquirat, & iuxtà perſonæ qualitatem de ſingulis demùm pręceptis Decalogi; de Septem peccatis capitalibus, item de omiſſis, & commiſſis, circà pręcepta Eccleſię, opera miſericordię, virtutes Theologicas, & quinque ſenſuum vſum interroget; prudens, verò, & adeò cautus ſit in interrogationibus, vt rudibus, & præſertim vtriuſque ſexus iunioribus ad nouũ, & nunquam anteà cogitatum ſcelus mentes non aperiat, & omnes tandem prudenter interrogati, peccata illa omnia euomant, quorum nullam in confeſſione mentionem fecerint, & in eis erraſſe probabiliter iudicari poſſit.

CAP. VI.

CONfeſſionis initio, pœnitentes nimium increpando Confeſſarij ne deterreant, nec deteſtationis, aut horroris ſigna emittant cum aliquid graue audierint; ſed in fine confeſſionis omnia diſſimulent, tunc verò non ſine

obiur-

obiurgatione illos abire ſinant grauitatem peccatorum perpendant, & pœnitenti demonſtrent, vinum, & oleum vlneribus ſauciati infundant, ac diuerſis experimentis ad ſaluandum ęgrotos vtantur. Abſolutionis autem ei beneficium non impendant; qui à mortalis peccati ſtatu diſcedendi, vel proximam eius occaſionem derelinquendi veriſſimum propoſitum non oſtendat; ſalutaribus tamen eum conſilijs iuuent, charitateque & correptione ſic illum tractent, & dimittant, vt nec deſperet, nec à confeſſione inpoſterum abhorreat; quem autem peccatorum ſuorum propter Deum veram contritionem habere, & à peccatis quantum in ſe eſt (diuina adiuuante gratia (abſtinere, & pro commiſſis ſatisfactionem exoluere deliberatum eſſe viderint; ſi Canonicum aliquod impedimentum non obſtet, abſolutionem ei tribuant, & ſi quid ad veram contritionem de eſſe intellexerint, illius deſiderio ipſum accendere conentur, & propter Dei offenſam quam maximè poteſt eum peccata deteſtari oportere admoneant, vt ex Sacramenti virtute, ex attrito cõtritus fiat, & Dominum Deum ſuum reliquiſſe malum, & amarum eſſe ſciat, & intimè doleat.

C A P. V I I.

IN pœnitentijs autem, & ſatisfactionis operibus iniungendis, Confeſſarij prudentiam, pietatem, & iuſtitiam maximè adhibeant. Pœnitentis animum, gemitus, & alios intimi doloris indices conſiderent. Status, conditionis, ſexus, & ætatis rationem habeant, quæ, quo loco, quo tempore, quibus perſonis imponant; ſedulò animaduertant, vt facilem & ſine ſcandalo aliquo executionem habere poſſint; nec alterius iuri, aut pœnitentis ipſius viuendi inſtituto repugnent proindè aliquando, ſi expedire

vi-

viderint, illum interrogent, an poſſit, an verò pœnitentiam ſibi iniunctam peragere dubitet, alioquin eam mutabunt, & minuent; Caueant tamen vt pro grauiſſimis delictis, leuiſſima quædam opera iniungant, & iuxtà Propheticum ſermonem; ſub omni cubito manus puluillos conſuant; id enim à Conciliorum decretis, & Sanctorum ſententia alienum, Confeſſoribuſque, ac pœnitentibus admodum periculoſum eſt; & propterea Confeſſarios omnes Pœnitentiales Canones optimè ſcire oporteret, vt ex veteri Eccleſiæ more publicas pœnitentias, ſi quando ad præſcriptum Conc. Trid. iniungendæ forent, prudenter iniungerent, & priuatas etiam ad inſtar illarum quantum (fieri poſſet) accõmodarent. Hortandi denique erunt pœnitentes, vt præter impoſitas à Sacerdote pœnas, quæ pro culparum ratione leues admodum ſemper erunt, plura etiam pœnitentiæ, & charitatis opera præſtare conentur. Et ſi quæ temporalia à Deo flagella eis infligi contingant, patienter tolerent, vt certam ſuam vocationem, & electionem facere, ac apud Deum Patrem per Ieſum Christum pleniùs ſatisfacere valeant.

CAP. VIII.

CAutus etiam ſit Confeſſarius, vt peccata quædam magis vſitata, & fidelibus damnoſa ſtudioſiùs perſequatur. Contractus palliatè vſurarios, falſi teſtis crimen, venereas amicitias, & eiuſmodi, ac illos, qui ſæpiùs in eadem incurriſſe cognouerit difficilè abſoluat; Varia etiam ad eorum præſeruationem (ne reincidant) remedia, & præſertim frequentem huius Sacramenti vſum exhibeat; Quos aliorum bona detinere, vel proximorum famæ detraxiſſe intellexerit, meliori quo fieri poſſit modo ad reſtitutionem compellat. Pœnitentias pecuniarias rarò

imponat; & in his, ac reſtitutionibus à pœnitentibus per manus eius interdum faciendis, cautè ſe abſtineat; ſecretum verò, & ſigillum confeſſionis ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & alijs corporalibus pœnis, ità cuſtodiat, vt nec etiam ab aliquo alio Sacerdote, vel ab ipſo Superiore (ſi quando conſulendus foret) perſonæ confitentes deprehendi poſſint; Illud tamen Confeſſarios omnes rogamus, & monemus, vt à Doctoribus, & à Patribus ſanctis doctrinam, & monita neceſſaria plenè cognoſcere ſtudeant, ne populos imperitia ſua depẽdant, & aliorum peccatis ſemetipſos inuoluant, ac in æternam damnationem immergant.

C A P. I X.

A Caſibus, quorum abſolutio Nobis eſt reſeruata, nullus Sacerdos, ſiuè Sæcularis, ſiue Regularis cuiuſuis priuilegij prætextu ſub pœnis in Decreto ſub die nona Ianuarij 1601. fel. rec. Clem. VIII. iuſſu edito, necnon in declaratione illius, eodem Clem. VIII. iubente, die 26. Nouembris 1602. promulgata appoſitis abſoluere audeat, niſi de Noſtra, aut Vicarij noſtri licentia. Illorum verò caſuum promulgatio proximè facta, tamdiù quoad altera, vel in Synodo, vel ipſa prima die ineuntis Ianuarij menſis fiat robur, vimque habebit. In ijs etiam quæ Apoſtolicæ Sedi ſunt reſeruata in fine harum Cõſtitutionum annotanda, multò minùs ſe immiſceat. Si verò Iubileum à ſanctiſſimo Domino Noſtro Papa indicatur, nullum cum eo, qui Irregularitatis notam contraxerit diſpenſet, niſi ſpeciatim eiuſdem rei facultas literis Pontificijs exprimatur.

CAP.

CAP. X.

Confeſſarijs omnibus ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis ipſo facto incurrendæ interdicimus, ne aliquam mulierem ad confitendum admittant, quæ conſanguinitate, vel affinitate vſque ad ſecundum gradum incluſiuè eiſdem coniuncta ſit. Confeſſiones autem non in priuatis domibus, præterquam in infirmitatis, & neceſſitatis caſu, nec antè Solis ortũ, vel poſt eius Occaſum, ſed in Eccleſijs, & in earum locis apertis de die tantùm in confeſſionalibus ad formam per Nos in Viſitatione conſtitutam, factis audiantur. Mulierum verò ægrotantium in ædibus priuatis, oſtio, & cubiculo ſemper aperto; In ipſis confeſſionalibus ſanctiſſimi Crucifixi primum Imago ante faciem pœnitentis, deindè exemplum Bullæ in Cœna Domini, & notula Caſuum Nobis reſeruatorũ ad Confeſſarij ſedem affigantur. Superpellicio, & ſtola Sacerdos ſemper vtatur, & in ſede confeſſionali vultu, & oculis compoſitus adeò permaneat, vt animo, & mente ad pœnitentis confeſſionem attentum ſe oſtendat, nec alio vagari dignoſcatur; extra materiam peccatorum in confeſſione nihil pertractet, turpia verò, ac inhoneſta verba, vel turpes, ac inhoneſtos ſenſus indicantia, ita Confeſſarius effugiat, vt ſi quid diabolica inſtigante malitia, de impudicis rebus agere, vel in actu Sacramentali, ſiuè antè, vel poſt immediatè, ſeù occaſione, vel pretextu confeſſionis etiam ipſa confeſſione non ſecuta, pœnitentem aliquo modo ad turpia ſolicitare auſus fuerit. Triremium, & alijs pro delicti enormitate grauioribus pœnis puniendum eſſe; ac de Hæreſi ex fel. record. Gregorij Papæ XV. Conſtitutione ſuſpectum reddi compertum habeat.

CAP. XI.

QVod in Lateranenſi Concilio ab Innocentio Tertio piè ſtatutum eſt; vt fideles ſaltem ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteantur, & iniunctam ſibi pœnitentiam pro viribus adimpleant, in tota noſtra Diœceſi ſub eiuſdem decreti pœnis inuiolatè obſeruari mandamus; & à Parochis inter Miſſarum ſolemnia in maioribus anni feſtiuitatibus publicari volumus; huic tamen præcepto ſatisfactum erit, ſi alicui Confeſſario ex gremio maioris Terrarum Eccleſiæ, vbi animarum cura ſolum exercetur approbato, Parochiani peccata ſua fuerint confeſſi; laudabiliter etiam à Confeſſoribus id fieri declaramus, ſi pueros, & puellas quamuis infantiæ annos nondùm excesserint, ad ſe interdum accerſitos, in huius Sacramenti cognitionem, & deindè vſum, paulatim inſtruant, & introducant; dum Sacramentalem tamen abſolutionem ijs non impendant, in quibus vel materia, vel rationis capacitas ſufficiens non reperiatur.

CAP. XII.

MEdicæ artis profeſſoribus omnibus ſub interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & alijs in Conſtitutionibus Innocentij III. & Pij V. ſummorum Pontificum pœnis contentis diſtrictè præcipimus, vt infirmos ad confitendum antè omnia idoneo Confeſſori peccata ſua hortentur, nec vltrà tertium diem eos non confeſſos viſitent; niſi longiùs tempus ægroto, Confeſſarius ob aliquam rationabilem cauſam ſuper quo illius conſcientiam oneramus conceſſerit, & per fidem Confeſſarij factam in ſcriptis, quod infirmi (vt præmittitur confeſſi fuerint) eis conſtiterit; Medicos igitur de hoc ſæpè moneant Parochi. Et Medici etiam Parochos

rochos ipſos de ęgrotis, quos viſitauerint certiores faciant; vt infirmos adire, & Sacramenta neceſſaria eis opportunè miniſtrare valeant. Et quia in re, vel actione, in qua pręſens mortis periculum timeri poſſit, fideles de peccatis ſuis confiteri ſalutaris doctrina eſt.

Curent omnes, quibus animarum cura imminet, vt ſi quis in ſua Parochia, vel ad bellum iturus, vel nauigationem, iter longum, negotiumvè periculoſum ſit ſuſcepturus, antequam iter, nauigationem, aut negotium aggrediatur animam ſuam pœnitentiæ, & ſacroſanctę Euchariſtiæ Sacramentis mundet, & confirmet. Id autem officium cum mulieribus proximè parituris frequentiùs maximè præſtent, vt in Edicto Noſtro de Anno 1647. promulgato mandauimus.

De Extrema Vnctione. Cap. I.

ILlud in primis curent Archipresbyteri, vt quibus in locis fieri cõmodè poſſit à latere Epiſtolę Altaris, in quo ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſeruatur, feneſtrella, & armariolum ædificetur, quæ ab interiori parte panno, aut ſerico rubro circumueſtiatur, aut cæruleo ſaltem colore, ac ſtellis depictis ornetur, ibique infirmorum, & alia ſacrorum Oleorum vaſcula collocentur; nam ſic decentiori in loco conſtituentur, quia continuò aderit lampas antè ſanctiſſimum Sacramentum ardens, nec aliqua poterit temeraria manus ad illa extendi, quæ ſera, & claui ab Archipresbytero ipſo ſemper retinenda, tutiſſimè cuſtodiantur.

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

OMni autem ſtudio vigilent Parochi, vt cum extremus dies ægroto inſtare videatur, Sacramentum Vnctionis Extremæ, omnino in tempore miniſtrent, & formam, ritus, & alia, quæ Ritualis Romanus præſcribit, obſeruent; Ne ſi aliquem ſine hoc ſalutari præſidio decedere illorum culpa contingat, quod ægrotis animæ, & corporis leuamen, & adiumentum ſubripuerint, lachrymis, & pœnis ipſi perſoluant; Moneant præterea quos viderint grauiter ęgrotantes, vt dum ſanę mentis ſunt, hoc Sacramentum ſibi miniſtrari petant, quia fructus illius, & vtilitates multæ ſunt; Reliquias enim peccatorum abſtergit, peccata quæ infirmus, vel ignorauerit, vel confiteri non valuerit, ſiuè ſint venialia, ſiuè mortalia tollit, ægroti animam contra languorem, & mœrorem, quem ex peccatis contraxerit, mortiſque metum, & Diuini iudicij horrorem, ac cæteras huius generis periculoſas mentis agitationes, & callidas ipſius dæmonis ſuggeſtiones, erigit, & confirmat, ipſumque etiam corpus, vbi animæ ſaluti expedierit aliquando ſanat.

CAP. III.

PArochus vas ſacri Olei, ne ſinu, brachiovè comprehenſum, ſed ſacculo ſerico violacei coloris aptè incluſum, cordula ſerica à collo pendens reuerenter ferat, & cum ad vngendum infirmum acceſſerit, pro perſonæ qualitatę placidis verbis illum conſoletur, & ſalutaribus monitis ad veræ fidei actus, & vitę æternę deſideria excitare ſtudeat, vt ſpem de infinita Dei miſericordia concipiat, atque à curis huius mundi ad beatitudinis Cæleſtis cogitationem toto animo, & corde ſe erigat; Cum verò propè mo-

moribundum illum cognouerit, in eius animæ Commendatione, quam maxima poterit pietate, ac diligentia laboret, ſtatas religioſas, ſanctaſque preces recitet, & omnia ſalutifera officia vſque ad vltimam ſpiritus exhalationem illi pręſtare non omittat. Mandamus autem ſub excommunicationis latæ ſententię pœna, vt quotquot fuerint in qualibet terra Sacerdotes, bini, aut ſinguli, prout illorum erit numerus per turnum, moribundis aſſiſtere, & Parochos in eorum animarum Commendatione coadiuuare ſemper teneantur, ne aliquem in tota Diœceſi mori contingat, cui Sacerdos in emiſſione animæ pręſens non fuerit, ſi quis huic Decreto ex legitimis impedimentis dixerit non paruiſſe, donec illa coram Nobis probauerit ſupradictæ ſententię vinculo irretitus permaneat. Moneant denique Parochi, & cęteri Sacerdotes ægroti domeſticos poſt ſanctam Vnctionem, vt corporis illius curam non deſerant, ſed maximè, ne illo pręſente plangant, nec vxores, aut filij dum in Agonia mortis erit conſtitutus ad eum accedant, ne qui res Cæleſtes meditari debeat terrenis affectibus commotus, & diſtractus animi perturbationem apprehendat, & patiatur.

De Sacramento Ordinis. Cap. I.

SAcramentum Ordinis quantę ſit nobilitatis, & dignitatis ex eo patet, quod à Chriſto Domino inſtitutum, homines ex inferioribus ad ſacros maiores gradus, ſummumque Sacerdotium, ac totius Eccleſiæ regimen extollit, & Ieſu Chriſti Corpus, & Sanguinem, quo nihil digniùs excogitari poteſt, conficiendi, & offerendi, Cælumque claudendi, & reſerandi ordinatiſſima diſpoſitione poteſtas illis confertur, maxima

igi-

igitur cautione in ſacris Ordinationibus agendum eſt, vt Ordinis ſacramento promouendi, tali virtutum excellentia præfulgeant, vt cæteris fidelibus ſpecimen, & exempla ſanctitatis præbere valeant; nam lucerna quæ in ſemetipſa non ardet, vt ait ſanctùs Gregorius, eam rem cui ſupponitur non accendit.

CAP. II.

SAcris autem Canonibus admoniti, meliùs eſſe Domini Sacerdotium paucos habere Miniſtros, qui poſſint dignè opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus graue ordinatori adducant, & experientia iam edocti, primam Clericalem tonſuram, vel ad Iudicium ſæculare effugiendum, vel ad Collectas publicas fraudandum à pluribus ſuſcipi, vt quod à ſacro Concilio Tridentino ſancitum eſt, re ipſa obſeruetur. Illius inhærendo diſpoſitioni ſtatuimus, vt nemo in poſterum ſuprà decimumquartum ſuæ ætatis annum prima Tonſura initietur, qui ea litterarum ſcientia præditus non ſit, quæ ad maiores Ordines aditum idoneum illi facere poſſit; quique coram Vicario noſtro Generali etiam non proteſtetur, ſe non Sæcularis Iudicij fugiendi, aut publicarum Collectarum fraudandarum cauſa Clericalem tonſuram ſumere velle, ſed vt Dei fidelem cultum præſtet, hoc vitæ genus elegiſſe; Infra ætatem verò quatuordecim annorum, ingenio rudibus, & nullam bonæ indolis literarum apprehendarum ſpem præſeferentibus, prima Tonſuram nunquam conferatur; Parentes etiam, ſiuè conſanguinei, vel tutores, qui plures filios, vel pupillos fratres Clericali militia antè decimumquartum ætatis annum petunt adſcribi, niſi in fraudem publicarum Collectarum id non petere iurauerint non audiantur.

CAP.

CAP. III.

ET quoniam Clerici coniugati, & alij quicunque prima Tonſura initiati, aut in minoribus Ordinibus cõſtituti ex eiuſdem ſacri Concilij Tridentini Decretis, & Summorum Pontificum Conſtitutionibus, priuilegio fori, & Canonis gaudere tunc demùm poſſunt, ſi Eccleſiæ cuius ſeruitio, vel miniſterio fuerint adſcripti frequenter ſeruiant, vel miniſtrent, & clericali habitu, ac tonſura vtantur, quos muneris ſui oblitos, aut in eo præſtando deſides cognouerimus, ne quam contempſerint, benignitate Eccleſiæ iuuentur, vnica vel bina tantùm extrà iudicialiter etiam præmiſſa monitione, priuilegio fori, & Canonis priuatos, publicis ad valuas Eccleſiarum Edictis affixis declarabimus, & Vniuerſitatibus, ac ipſis fori ſęcularis Iudicibus denunciabimus.

CAP. IV.

AD minores Ordines promouendi linguam Latinam intelligant, & bonum à Parocho, & Magiſtro Scholę in qua educantur teſtimonium habeant, quod in vnoquoque munere à Nobis pręſcripto in ea, cui adſcripti erunt Eccleſia ſe exercuerint, Scholam frequenter, ac perſeueranter adiuerint, bonorum morum exemplo meritum vitæ comprobauerint, & creſciori, quam anteà Corporis Chriſti ſacra Communione pietatis, & deuotionis ſigna oſtenderint, Doctrinam verò Chriſtianam maximè calleãt, alias conſequendorum Ordinum omni ſe prorſus ſpe carere certò ſciant.

CAP. V.

HI verò,qui ad Ordines maiores erunt aſſumendi per menſem ante Ordinationem Nos adeant,vt Parocho, vel alteri cui magis expedire videbitur, de ipſorum Ordinandorum natalibus, ætate,moribus, & vita inquiſitionem à fide dignis, & propoſitis in Eccleſia nominibus, & deſiderio eorum habendam committamus, vt eam ad Nos deferant; quod etiam erit obſeruandum in collatione primæ Tonſuræ, & reliquorum minorũ Ordinum iuxtà Decretum editum à ſacra Congregatione Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotijs Iuriſdictionalibus huius Regni Præpoſitorum,ſub datum Romæ decimo Kal. Iulij anni 1623. & à fel. record. Gregor. XV. confirmatum.

Inter alia verò in huiuſmodi teſtimonijs expreſsè contineri volumus,eos qui in minoribus Ordinibus conſtituti ſunt, ſingulis menſibus ſemel in prima, vel tertia Dominicis in Miſſa maiori, Diaconos autem, & Subdiaconos quoties celebranti Sacerdoti inſeruierint, vt Decreto ſacri Concilij Tridentini cauetur,ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumere ſolitos fuiſſe, & aſſiduum in Eccleſia miniſterium, ac debitam erga maiores reuerentiam, & obedientiam præſtitiſſe, vt non ſolùm in legitima ętate conſtitutos, ſed dignos tantum, & quorum probata vita ſenectus ſit (Diuino adiuuante ſpiritu) ad hos promoueamus ordines.

CAP. VI.

VT nemo ad Ordines maiores promoueri poſſit, qui redditus Eccleſiaſtici beneficij, penſionis, vel patrimonij,quibus decenter viuat pacificè non poſſideat. Et nè ſumma hęc in incerto vagetur, penſionem, vel bene-

ficium,

ficium, vel patrimonium, quod pro titulo aſſignabitur, ſummam triginta ducatorum monetæ Regni, annui redditus oneribus tamen,& expenſis deductis conſtituere debere declaramus, & expreſsè cauemus, vt ſufficiens ad ſacros ſuſcipiendos ordines dicatur; promouendos autem illud eſſe monitos volumus, nè ſubreptitiè in hac parte ordines ſuſcipiant ſub pœnis in Conſtitutione Vrbani Papæ Octaui vndecima Decembris 1624. ſuper hoc edita impoſitis, parentibus etiam, conſanguineis, & alijs quibuſcunque, qui bonorum aliquam aſſignationem ad conſtituendum promouendis titulum facere voluerint, ſub excommunicationis vinculo præcipimus, vt patrimonium non fictum, aut ſimulatum, non cum alijs commune, non litigioſum, ſed proprium, verum, liberum, & pacificè ab eis poſſeſſum, ita conſtituant, vt fraudes, & controuerſiæ omnes longè ſint; & aſſignanti etiam ipſi tantum ſuperſit, quantum ad vitam ſui ipſius ſuſtentandam, & ad reliquā alendam familiam ſuppetere poſſit. Et quoniam idem eſſet ſine titulo ordines ſuſcipere, & poſt illos iam ſuſceptos, ſine titulo remanere, ad ordines ſuſcipiendos aliquis non antè admittatur, quam coram Noſtro Actorum Magiſtro expreſsè iurauerit ſe titulum huiuſmodi ſine licentia noſtra non alienaturum, donec alios maiores redditus Eccleſiaſticos, vel ampliùs patrimonium ex quo decenter viuat fuerit conſecutus.

CAP. VII.

Examinatoribus Synodalibus Noſtris, ne aliquid ab examinandis, vel examinatis petant, aut etiā ſpontè dantibus accipiant, pœna ijs ſtatuta, quæ ſimoniacos manet, expreſsè prohibemus; quin eos antequam examinandi officium exercendum ſuſcipiant, in manibus Vica-

rij Noſtri Generalis iuramentum præſtare iubemus; ſe nullam perſonarum acceptionem habituros, nec aliquid amicitiæ, vel gratiæ daturos fore, ac vt omnia ritè, & rectè fiant; edictum antequam Ordinatio habeatur (vt moris eſt) præcedat, in quo neceſſaria omnia ad ſacros Ordines ſuſcipiendos explicentur, dieque Dominico proximo Ordinationem antecedenti Parochi hortentur Populum, vt orationibus, ieiunijs, & pijs ſupplicationibus, Deum humiliter deprecentur, vt Archiepiſcopo ſacros Ordines conferenti, ita gratia ſua benignus aſſiſtat, vt optimos quoque, non indignos in Eccleſia operarios eligat, & ad ſacros Ordines euectos maioribus in dies virtutibus, vt in ſanctitate, & iuſtitia ei ſeruiant, augere dignetur.

CAP. VIII.

Curiæ noſtræ Actorum Magiſter librum habeat, in quo Clericorum omnium, tam Sęcularium, quā Regularium, qui ad aliquos Ordines, vel etiam ad primam clericalem Tonſuram promoti, & à Nobis adſcripti fuerint, nomina, cognomina, patriam, diem, & titulum beneficij, vel patrimonium in album referat. Et ſi qui fuerint alterius Diœceſis illorum Dimiſſoriam etiam in filo conſeruet, ne vnius negligentia Miniſtri, damnum pluribus inferat irreparabile.

De

De Sacramento Matrimonij. Cap. I.

HVmana natura eſt quiddam ſociale,& prima naturalis humanæ ſocietatis copula, fuit vir, & vxor, quos nec ipſos ſingulos condidit Deus, ſed alterã ex altero creauit, gratiam verò, quæ naturalem maris, & fęminæ amorem perficeret, coniugeſque ſanctificaret, ipſe Chriſtus Dominus noſter Matrimonij ſacramento illis verbis, Quod Deus coniunxit homo non ſeparet, confirmauit, & Paſſione ſua nobis promeruit, Archipresbyteri igitur, & alij curam Animarum agentes populum frequenter docebunt, quo animi affectu, & quã ob cauſam fideles matrimonium inire debeant, non vtique libidinis explendæ cauſa, ſicut equus, & mulus quibus non eſt intellectus, nec cupiditate diuitiarum principaliter illecti, ſed cum prolis ſuſcipiendæ gratia, vt eam Chriſtianæ vitæ pręceptis ad honorem Dei inſtituant, tum etiam cauſa vitandæ fornicationis, & vt Coniuges alter alterius ope adiuti, huius vitæ incommoda faciliùs ferre, & ſenectutis imbecillitatem ſuſtentare queant, nec verò vniuersè ſolum, ſed ſingillatim, ſpeciatimque provt occaſio tulerit id officium omni charitate pręſtare ſtudeant, viros hortentur vt vxores ſuas honorificè tractent, ad familiam ſubſtentandam neceſſaria ſuppeditent, mulieres ſubditas viro ſe gerant, filios in religionis cultu piè educent, res domeſticas curent, & in omnibus, quæ pietati Chriſtianæ non aduerſantur viris obediant, ſe ipſos inter ſe vnicè, ac ſancto cordis affectu diligant, thorum maritalem nemo ex eis inquinet, ſed purum ſit matrimonium, & ab obſcęnarum cupiditatum contagione liberum, illis tandem perſuadere conabuntur, vt in ſolemnioribus anni

Digitized by Google

ni diebus, & ieiunorum, & orationum publicarum temporibus, & quibus diebus Euchariſtiam ſumpturi ſunt, vel ſumpſerint, à debito matrimonij de communi conſenſu, quantum poſſunt, abſtineant.

CAP. II.

Ritus, qui in Matrimonio contrahendo ſeruari debẽt à ſacri Concilij Tridentini 24. Seſſione habeantur, & obſeruentur, ac ad traditam in nouo Rituali Romano formam exequantur, nullus Curatus, vel Sacerdos alterius Parochiæ Sponſos abſque illorum proprij Parochi licentia coniungat, alioquin à Diuinis ipſo facto ſit ſuſpenſus; ſi ſponſorum diuerſæ ſint Parochiæ, qui matrimoniũ celebrat, ſub eadem pœna ſuſpenſionis, habeat alterius Parochi teſtimonium, quo ab eo in ſua Eccleſia denunciationes factas fuiſſe, & nullum, quod obſtet impedimentum denunciatum fuiſſe, nec extare certò ſciat. Nemo tandem, qui ſit alterius Diœceſis ad contrahendum matrimonium admittatur, niſi Epiſcopi ſui Ordinarij, vel ipſius Generalis Vicarij legitimo exhibito teſtimonio, contrahendi licentiam à Nobis obtinuerit, licentias verò ipſas noſtras, ac aliorum Parochorum atteſtationes, Curati omnes Noſtri apud ſe diligenter conſeruent, eaſque in matrimoniorum annotationibus exprimant, vt in ipſius Ritualis calce regula deſcripta, ſingillatim continet.

CAP. III.

INcogniti viri, aut incertas ſedes habentes matrimonium Parochi Nobis inconſultis, ac ſine licentia Noſtra in ſcriptis concedenda, nunquam celebrent; qui ſecus egerit noſtræ vltionis rigorem experietur, ſponſorum vo-

voluntas, an matrimonij, quod inter eos tractatur, denunciationes fieri placeat, non ſolùm à Parentibus, & agnatis, ſed ab ipſis etiam ſeparatim ſponſis diligenter exquiratur, à fęmina quidem in loco honeſto, & in propinquorum conſpectu, ita tamen vt quiſquam non audiat, neque ita propè ſit, vt illa præ pudore, vel alia cauſa liberè voluntatem ſuam exprimere timeat, eorum etiam legitima ætas ante denunciationes recognoſcatur, nec ad contrahendum admittatur, qui Apoſtolorum Symbolum, Orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, & Decem legis Præcepta, Chriſtianæ Religionis fundamenta, ignoret, Viduis ad ſecunda vota nequaquam pateat aditus, niſi certis teſtimonijs alterius coniugis obitum coram Nobis, aut Vicario Noſtro Generali comprobato. Et cuiuſuis gradus, ſiuè conditionis perſonarum matrimonia alibi, quam in ipſis Eccleſijs Parochialibus antè denunciationes, vel poſt, abſque Noſtra licentia celebrare in Noſtra Diœceſi ſub excommunicationis, & alijs corporalibus arbitrio noſtro reſeruatis pœnis, omninò nefas ſit.

CAP. IV.

SIgnificetur autem per Parochos omnibus terrarum Dominis temporalibus, quod ſi quemquam ex ſuis ſubditis quouis modò directè, vel indirectè, quominus liberè matrimonia contrahat impedierint, excommunicationis pœna ſeſe eſſe innodatos ſciant, quam ipſo facto incurrant ex Tridentini Concilij Decreto, & ideò damnādæ, & abolendæ omninò ſunt leges illæ, ſi quæ ſunt, & amouendæ conſuetudines, ſiuè potiùs abuſus, quibus ſubditi ante celebrationem contractus matrimonij ad exigendam bonam voluntatem, & beneplacitum Dominorum compelluntur, aut adducuntur, & nos hortamur, ac obſe-

obſecramus in viſceribus Chriſti omnes terrarum noſtræ Diœceſis Dominos, vt animarum ſuarum ſalutis memores, ab huiuſmodi abuſu omninò recedant.

CAP. V.

IMpedimenta matrimonij, vt Populus quid denunciare debeat non ignoret, vernacula lingua reddita, in folio aliquo ad formam in fine harum Conſtitutionum typis impreſſam deſcribantur; atque ſemel in anno ſaltem in interiori parte muri Eccleſiæ propè Ianuam affigantur, ac inter Miſſarum ſolemnia publicentur. Eodem etiam tempore excommunicationis ipſo facto incurrendæ ſententiam Curati illis edicant, qui matrimonij impedimentum ſcientes non reuelauerint, vel vt matrimonium legitimè contrahendum impediant aliquid malitioſè fixerint, aut denunciauerint, quandocunque autem Parochus impedimenta matrimonij celebrandi ſuſpicatus fuerit, & aliquo mundi reſpectu non reuelari dubitauerit, ſi à timoratis viris rem ſecretò inquirere, & impedimenta detegere non valeat, antequam in denunciationibus vlterius progrediatur, dubitationis cauſã ad Nos referat, vt quod magis expedire videbitur decernamus. Si qui verò inter gradus prohibitos ſcienter matrimonium contraxerint, re ſtatim cognita illos ſeparari debere, & ex Decreto Concilij Tridentini omni ſpe diſpenſationis impetrandæ carere, ſententiamque excommunicationis ex Conſtitutione Clementis Papæ V. incurrere, Populum Curati crebrò admoneant, ne fidelium conſcientiæ inextricabilibus laqueis innodentur. Qui verò ignoranter contraxerint impedimento detecto ſeparentur, donec à ſancta Sede Apoſtolica diſpenſatione impetrata, illius diſpenſationis virtute cum illis fuerit à Superioribus diſpenſatum.

CAP. VI.

QVæ de benedictione Sacerdotali ante cohabitationem in Templo accipienda, ſancta Tridentina Synodus ſtatuit, & de ſacra Cõmunione ſuſcipienda Coniuges hortatur; in hac noſtra Diœceſi parum obſeruari, & Sponſos nedùm benedictione accepta, ſed nec expectatis denunciationibus ſępè commiſceri, & matrimonium contrahere negligentes, oſcitanter etiam interdum vitam in concubinatu ducere cognouimus. Quocircà, vt matrimonia non à grauiſſimis peccatis, ſed à diuina Gratia initium ſumant, & huic malo quantum in Domino poſſumus (& cupimus) occurramus; ſtatuimus ne Parochi alio tempore, quam de mane Miſſam de more Eccleſiæ celebrando, Sponſos in matrimonium coniungere audeant, vt vno, eodemque tempore, & benedictionem Sacerdotalem accipiant, & ſacramentali præmiſſa confeſſione, ſacra Communione ſe reficiant, quod vt omninò præſtetur Parochi enixè curabunt.

Et ne in poſterum ſtupra, fornicationes, & quandoque etiam inceſtus prætextu futuri matrimonij in grauiſſimã Dei iniuriam, & contrahentium damnationem committantur. Hac Synodali Conſtitutione, quæ à Curatis inter Miſſarum ſolemnia ſingulis annis erit publicanda ſponſis ſub excommunicationis latæ ſententiæ vinculo omnem ſimul conuerſationem, antè legitimam per verba de pręſenti mattimonij celebrationem interdicimus, ac diſtrictè prohibemus. Illud tantum indulgentes, quod poſſit eorum Curatus aliquoties intrà menſem à ſponſalium die, licentiam concedere ſponſo, ſuam parentibus, aut cognatis pręſentibus ſponſam inuiſendi. Peracto autem menſe prędicto, ſponſos antè matrimonium contractum ſimùl commorantes, pręter excommunicationis ſtatutam pœ-

M nam,

nam, tanquam Concubinarios puniendos eſſe ſancimus, & declaramus.

CAP. VII.

ET cum ad nuptias, & matrimonia impedienda, vel dirimenda, eo ventum fuiſſe audiuerimus, vt veneficia, & faſcinationes adhibeantur, & propterea ſponſi à celebratione matrimonij in Eccleſia ſępiùs auertantur; quod quandoque maleficijs præpediti ea reperiantur occaſione; vt à tanto, tamque nefario crimine, pœnæ grauitate mortales deterreantur. Faſcinantes, & id generis maleficos, excommunicationis ſententiam ipſo facto irretitos pronunciamus, & eodem etiam genere pœnæ illos affici volumus, quicunque talia ſuaſerint, vel mandauerint, vel alias quomodocunque conſenſerint.

CAP. VIII.

NOn ſuſtineant Parochi quempiam ſibi ignotum, qui in eorum Parochiam ex aliena Diœceſi commigraret cum fęmina, quam ſecum coniugis nomine duxerit cohabitare, ſi tamen ex aliqua probabili coniectura ſuſpicari poſſit illam habere in concubinatu, niſi Parochi è cuius Parochia venit, litteris certo pręſcripto tempore teſtatum illis fuerit, vel alias fide dignorum teſtimonio, probatum fuerit, eam ſibi legitimè coniunctam eſſe; Ac vt in concubinarios, adulteros, & coniuges inter ſe diſiunctos ex Tridentini Concilij ſanctione ſeuerè animaduertatur, mandamus, omnes etiam qui in concubinatu, & adulterio perſeuerare comperti fuerint, & qui matrimonio iuncti, nullo interpoſito Eccleſiæ iudicio, & ſanctiſſimo hoc neglecto Sacramento, poſt præmiſſas legiti-

mas

mas monitiones, ſimul non habitauerint, excommunicationis gladio feriantur, & excommunicati denuncientur, nec vnquam abſoluantur niſi à prędictorum peccatorum labe planè, & ſublata peccandi occaſione ſe reuocauerint.

De Sanctorum Reliquijs. Caput I.

SAnctorum Martyrum, & aliorum in Chriſto viuentium, ſancta Corpora, & reliquiæ, quæ viua Chriſti membra, & Spiritus ſancti Templum fuiſſe Apoſtolicis verbis docemur, vt digno habeantur honore. Illud in primis ſtatuimus, vt non niſi in Eccleſijs decenti loco, ab ipſo tamen ſacræ Euchariſtiæ tabernaculo ſeparatæ, vaſculis ornatis, & firmis appoſitis clauibus cuſtodiantur, circà locum in quo Reliquiæ ſunt repoſitę, aliquid quod deuotionem moueat depingatur. Inſcriptio autem ſit (Reliquiæ Sanctorum) in proſpectu; Tabella etiam deſcripta continens omnia nomina pendeat ibidem. Quod ſi aliqua inſignior cęteris reliquia ibidem aſſeruetur, lampas ante illam perpetuò, aut feſtis ſaltem diebus ardeat. Nomina Reliquiarum, ſingulis alligentur vaſculis, ſi quæ ſint nominum ſchedulæ, quę vetuſtate corrodi incipiant, fideliter iterum deſcribantur, quæ verò certa non habeant nomina, diſtincto ſeruentur vaſculo, & ſingulari hoc exprimatur inſcriptione, nouæ Reliquię nobis inconſultis, & ſine approbatione Noſtra non introducantur, nec recipiantur. Veteres verò ſub excommunicationis pœna nemini tradantur, aut diſtrahantur.

CAP. II.

CVm aliquo ſolemni feſto Sanctorum Reliquias populo oſtendi, in Proceſſionibus geſtari, aut alias exponi

poni contigerit, non niſi à Sacerdote luminibus accenſis, ſuperpellicio, & ſtola ſaltem induto, id fiat: à laicis nunquam tractentur, nec illis immediatè oſculandę exhibeãtur, multò minus ad ęgrotorum domos deferãntur, cuiuſuis conſuetudinis prætextu, nec etiam refragante; dum verò in publicum proferuntur, omnis quęſtus, & capſulæ omnes pro eleemoſynis ea occaſione erogandis ſemper arceantur, & prohibeantur.

De Eccleſijs, earumque cultu.
Caput I.

Eccleſiæ, quæ Cælum terreſtre ſunt, quanto nitore, ornatu, & ſplendore ornatę eſſe, quanta fidelium veneratione, & humilitate Sanctus in eis Dei cultus exerceri oporteat; hinc optimè patet, quod in eis excelſa Dei maieſtas reſidet, ſanctiſſimum Chriſti Corpus offertur, Angeli adſtant, Sanctorum inuocatur auxilium, & pœnitentium peccata expiantur. Omnia igitur prophana ab Eccleſijs procul abeſſe iubemus, domeſtica ſuppellex, vinum, frumentum, decimis tantũ, & oblationibus ante illarum diuiſionem exceptis, in eis non retineantur. Ceſſent in locis illis Vniuerſitatum, & ſocietatum conſilia, & publica (vt aiunt) parlamenta. In Templis, & Oratorijs, nemo tumulum excitet, dum ſacra Miſſarum myſteria, & alia Diuina officia celebrantur, deambulationes nullo modo fiant, vana, ſcurrilia, & multò magis fęda colloquia nec habeantur, vel audiantur; Haſtata arma, Sclopi, & alia bellica inſtrumenta non deferantur; & ea tandem reuerentia, & deuotione, qua par eſt, omnes in eis verſentur, qui Decreta Noſtra violauerit,

rit, à Clericis vt deſiſtant admoneantur, ac ſi nihilominus ſecus efficere audeant, iuxta Lugdunenſis Cōcilij Decreta, & Conſtitutionis ſanctæ memoriæ Pij Papæ V. tenorem, quæ incipit, *Cum primam, &c.* pro delicti, & conditionum aggrauantium qualitate noſtram experientur animaduerſionem.

CAP. II.

NE prophanum aliquid in Eccleſijs committatur, curent Archipresbyteri, aut qui primam in eis habēt dignitatem, vt Eccleſiæ mane opportuno tempore, quando fideles aduenire ſolent aperiantur, & cum à Diuinis, & Officiorum recitatione ceſſatur claudantur, iterum ſi eſſent aperiendæ, ſerò congrua hora omninò obſerentur, & neminem in eis dormire patiantur, qui ſecus faxint grauiſſimis afficiantur pœnis. A priuatis domibus intrà Eccleſias proſpectum habere nemini liceat. Et ſi aliquę huiuſmodi feneſtræ apertæ ſunt, infrà menſem obſtruantur, Choreæ, ſaltationes, ſtabula equorum, & bouum, ſterquillinia, & cętera malè olentia ab Eccleſijs per quinquaginta paſſus ad minus procul ſunto, nec ſuper Eccleſijs domus, & cubicula ad habitandum conſtruantur. Eccleſiarum feneſtræ, vel lucido vitro, vel tela cerata, ita occludantur, vt aues, & imbres penitùs repellantur; ſingulis demum Sabbati diebus, poſt celebrata diuina Officia, vnaquęque mundetur Eccleſia. Bis autem in anno hoc eſt antè diem Paſchatis Reſurrectionis, & antè diem feſtum tituli Eccleſiæ à ſolo vſque ad faſtigium diligenter à puluere, aranearum telis, omnique ſorde purgetur.

CAP.

CAP. III.

DElictorum inquiſitiones, cadauerum inſpectiones nemo in Eccleſijs facere audeat, ſi qua verò occiſorum corpora interdum inſpicienda ſunt, id ſine licentia noſtra nunquam fiat,& cum Iudices eam habuerint, extractis ab Eccleſia cadaueribus ſuum officium exequantur. Nullus prętereà contractus præter matrimoniales, aut alij, qui pietatem reſpiciunt, intrà Eccleſias celebrentur. Teſtes non examinentur,& ſtrepitus tandem omnis iudiciorum, etiam ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna ceſſet, & ſileat, quia ſi quis templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus.

CAP. IV.

NOuæ Eccleſiæ, Oratoria, Cappellæ, aut Monaſteria ſine Noſtra conceſſione non ędificentur, nec in eis erigantur Altaria. Dirutæ autem Eccleſiæ ſi per earum facultates liceat, infrà annum reſtaurentur, ſin minus ad matrices Eccleſias quam primum illarum tituli transferantur, & cęmenta, lapides, tigna, & omnis dirutæ Eccleſiæ materia in aliquem prophanum vſum conuertere ſine licentia Noſtra nemini liceat: & ſi quid pecuniæ ex illis proueniat in vtilitatem Eccleſiæ, non autem priuatæ alicuius perſonæ erogetur.

CAP. V.

ALtaria verò in quibus Chriſtus Agnus innocens immolatur, cum ornatu, & ſupellectili opportuna referta eſſe maximè deceat, idcircò infraſcripta de illis iure ſtatuimus. Quodlibet Altare ex lapidibus, lateribusvè ſit

extru-

extructum pręter ipſum, lapideum Altare portatile, tabulam habeat honeſtè depictam, qui titulum Altaris referat; vnum ſaltem pallium ex corio deaurato, ſi quę feſtis Eccleſiæ diebus reſpondeant, non poſſint haberi, candelabra duo, & Crucem ex oricalco, vel ſaltem ex ligno deaurato, gradum decenter pictum, ſuper quo Crux, & candelabra conſtituantur; tabellam alteram ſecretorum Miſſæ (quod dicitur Gloriæ) coronatam circumcircà nuceo ligno, vel ex alia materia, vel ornatu, & alteram cum Euangelio Sancti Ioannis (In principio) quod in fine Miſſæ dicitur. Mappas itidem minores duas, & vnam maiorem, quæ menſam totam ſimul, & latera vſque ad ſolum Altaris cooperiat, telam ſtragulam coloris viridis, aut violacei, quę ſuper Altaris menſa explicata à ſordibus, & puluere illam tueatur. Vmbella, ſeu tegmen, quod Sacerdotem celebrantem tegat omninò adſit, vel concameratum, vel ex aſſeribus, aut tela cerulea decenter picta, vel ex ſerico, aut panno confecta; ſcabellum ſuppedaneum (quod pradellam vocant) ad ipſius Altaris longitudinem, latitudinis verò duorum cubitorum ligneum, & firmum; & apud quodlibet Altare candelabrum etiam ex ligno depictum ſtatuatur, ad ſuſtinendum Cereum in eleuatione ſanctiſſimi Sacramenti accomodatum, ab Altaris tandem latere, in quo dicitur Epiſtola conſtruatur in pariete feneſtrella, tranſuerſali tabula, aut lapide diſtincta ad peluim cum vrceolis in ſuperiori parte reponendam; in inferiori verò ad aquam ablutionis manum celebrantis proijciendam, & clauus affigatur ferreus, quo Sacerdotis biretum appendi poſſit, nec quiſquam in Eccleſia vlla excuſetur, quominus Altare ſuum, Cappellamvè, quam obtinet inſtruat, ornetque, ac propriam illis ſupellectilem omnem comparet, ſed priuationis Altariũ, & alijs arbitrio Noſtro poenis deſides omnes mulctentur, & compellantur.

CAP.

CAP. VI.

ECcleſiarum prætereà decori ſtudentes, ſepulchra omnia deinceps opere fornicato ab interiori parte fieri, & reliquo pauimento Eccleſiæ planè adęquata conſtrui mandamus. Vetera autem, & antiqua excelſo loco poſita, & ea, quæ parietibus adiuncta à ſolo eminent, amoueri, & quamprimum tolli curent Eccleſiarum Parochi, & alij per quos animarum cura exercetur. Operiantur etiã ne vllo vnquam tempore fęteant, ſepulchra duplici tegmento, quod forma quadrata è lapide ſolido inferiùs è crudi, illud autem ſuperiùs è polito lapide ſit confectum. Cruces in ſepulturis neque pingantur, neque ſculpantur, & à ſcabello, ſeù pradella Altaris os ſepulchrale quodcunque ſpatio ſaltem cubitorum trium diſtet. Quæ ad ſupradictam formam infra terminum trium menſium reducta non fuerint, humo oppleantur, & nemo prętereà ſub anathematis pœna in illis deinceps ſepelliatur.

De Diuinis Officijs. Caput I.

VBi faciliùs labimur, ibi proculdubio eſt pleniùs conſulendum, humanarum rerum inopiâ, Parentum, & Agnatorum anguſtiæ, quibus pręſens ſęculum redundat, ac noſtri plerunque animi ſenſus, omnium ferè quotquot Eccleſiaſtici ſunt ordinis, ità mentes obruunt, vt mundi curis, vel oblectationibus diſtracti, Diuinum officium recitare pluries etiam deſiſtant, aut negligenter admodum, & oſcitanter recitantes, debito muneri nequaquam ſatisfaciant, meminerint igitur (omnes enixè rogamus) quod onus ſuſceperint in ſacris Ordinationibus, quid debeant Eccleſijs, quarum

ſer-

ſeruitio ſunt adſcripti, aut fructus recipiunt, cogitent, qui ad Chorum accedunt, quàm ob cauſam eo ſe conferunt, & in medio cœtu Angelorum ſe conſiſtere, idemque cum illis ſacrificium laudis peragere exiſtimantes, quantæ ſit dignitatis hominem cum Deo habere ſermonem animo ſecum reputent, Pſalmos, & Hymnos quos ore canunt, aut recitant, interno cordis affectu, atque animi attentione pro viribus comitari conentur; nedum labijs Deum honorant, corde longè ſint ab eo, & ad mentem reuocent maledictum illum eſſe, qui opus Domini negligenter facit.

CAP. II.

INternam verò animi deuotionem, cum deceat externis etiam actibus demonſtrare, qui Choro adſtricti ſunt, audito ſolito ad conuocandum eos Campanæ ſono, ad Eccleſiam progrediantur, & facta oratione antè ſanctiſſimum Sacramentum recta ad Sacriſtiam pergant, ibi ſumant Canonici Canonicale veſtimentum, reliqui ſuperpellicium, omnes verò ſint cum bireto. Interim in Altari maiori ad minus duo accendantur lumina, vt ea Campanula pulſata, qua egreſſus ad Miſſas ſignificari ſolet, ordinatim bini, & bini procedant ad Chorum, quo ſimul cum peruenerint, ſuum locum adeant, ibique genibus flexis ſaltem Orationem Dominicam ſubmiſſa voce recitent. Deindè dato ſigno, vel pronunciato Pater noſter, per Hebdomadarium, ſurgant, & officium aggrediantur. Ille verò, qui primum Chori locum tunc tenet ex ijs, qui dignitates in Eccleſia obtinent, Præſidentis Chori, ac etiã Punctatoris, niſi alius per Nos fuerit electus officio fungatur, & diligenter curet, vt rectè diuinum Officium perſoluatur. Nam ab eo de aliorum erratis rationem plenam exigere intendimus.

N Ne-

Nemo in Choro litteras, aut libros, aliáuè ſcripta præter Breuiarium legat, nemo priuatim officium recitet, nugæ, ſtrepitus, rixæ, clamores, riſus, ſomnus, & colloquia procul ſunto. Studeant è contrario omnes concorditer pſallere, caput detegere, ſurgere, ſedere, genufleƈtere, cum hoc, aut illud ratione officij faciendum erit. Non nimis velociter, & curſim, ſed clarè, & diſtinƈtè pſallant, aut recitent, & punƈta faciant, ac in medio cuiuſcunque verſiculi iuxtà interpunƈtionẽ in vltima Breuiarij impreſſione, additis Aſteriſcis factam, conſiſtant, nec antequam altera pars Chori, Pſalmi verſiculum finiat, ſubſequens ab altera parte inchoetur: ita denique ſe in omnibus gerant, vt populo boni operis exemplum prębeant. Qui ſecus fecerit, & prædictas, & alias cęrimoniales regulas non obſeruauerit; Si ſemel admonitus non reſipuerit, ea pœna ſit, vt diſtributione illius Horę careat, & pro abſente habeatur, & ſi errata id requirant, ad Nos etiam referatur arbitrio noſtro corrigendus. Quod ſi omnes de Choro ſimul deliquerint, ſciant officio proprio non ſatisfacere, & ad reſtitutionem fructuum teneri, quos Sacriſtiæ, vel alteri loco pio cum res ad Nos peruenerit illicò applicabimus.

CAP. III.

ABſentis loco habeatur, qui venerit in Chorum ad Matutinum poſt Pſalmum, Venite exultemus, & Horas poſt Hymnum, ad Miſſam poſt vltimum Kyrie, ad Veſperas poſt primum Pſalmum, ita vt diſtributiones amittat, & nihilominus per reliquum temporis ſpatium, Diuinum cũ alijs teneatur recitare officium. Si ſecus vltrà diſtributiones ipſas, pœna duorum carolenorum Sacriſtiæ ipſo facto applicandorum etiam mulƈtetur. Quicunque autem ab vnius horę Officio de Beata Maria eo die, quo in Choro ad præ-

præſcriptum rubricæ Breuiarij recitari debet, abſuerit, diſtributione illius horæ perindè priuetur, ac ſi ab horæ eiuſdem officio, quod de Domino recitatur abeſſet, & cum pro diſtributionibus quotidianis acquirendis, non ſatis ſit ad Chorum tempore debito accedere, ſed vſque ad finem diuinorum Officiorum ibi permanere, ſit neceſſarium, quia in Metropolitana, & alijs noſtris Eccleſijs tres punctaturæ ſingulis diebus ſunt aſſignatæ; quarum vna eſt pro Matutino, & Prima; altera pro reliquis Horis, & Miſſa; tertia pro Veſperis, & Completorio. Suas non facere diſtributiones declaramus: qui antè recitatum Martyrologium in Prima receſſit à Choro; antè factam eleuationem ſanctiſſimæ Hoſtiæ Miſſæ Conuentualis; & antè inceptam Antiphonam Beatæ Mariæ in Completorio. Volumus autem vt abſque licentia Superioris in Choro nemo etiam tunc temporis ſub pœna amiſſionis illius punctaturæ diſcedere audeat; eaque niſi neceſſitas vrgeat nunquam cõcedatur.

CAP. IV.

QVod ſi inchoato diuino Officio aliquis ſuperueniat Canonicus, vel alius Sacerdos in Choro genuflectat ſtatim verſus Altare parumper orans, mox ſurgens, Canonicos, ſeu alios Sacerdotes ſalutet, qui ſurgere, capitibuſque apertis eum conſalutare debebunt; ipſe autem ad locum tunc accedat ſuum; & ſi diceretur in Choro, Deus in adiutorium, aut Hymnus, aut in Miſſa Oratio, aut Euangelium; tamdiù expectet, donec ea perficiantur, deindè quæ ſupradicta ſunt exequatur. Curet autem Magiſter Cęrimoniarum in qualibet Eccleſia per Nos electus, & loco illius Præfectus Chori, vt non ſolùm in hiſce noſtris Conſtitutionibus expreſſæ, ſed illæ etiam, quęcunque ſint in Miſſali, Breuiario, & Epiſcoporum Cæ-

Digitized by Google

rimoniali deſcriptæ cęremoniæ ſeruentur. Et ſi quos inobedientes habuerit ad Nos referat, diſtributionum amiſſioni, & alijs pro contradictionis modo grauioribus mulctis ſubijciendos. Finito diuino Officio apud ſedes ſuas omnes genuflectant, & dicta ſaltem Dominica Oratione, datoque ſigno, vel ſurgente Hebdomadario ſurgant, ſeque inuicem ſalutantes, eodem, quo ingreſſi ſunt Chorũ ordine, ac modo recedant, & in Sacriſtia Canonicalia indumenta, vel ſuperpellicium exuant; factaque deindè ante ſanctiſſimum Sacramentum oratione, licebit abire.

CAP. V.

IN Metropolitana, & in vnaquaque Eccleſia noſtro ſubiecta Regimini, in qua plures conueniunt Sacerdotes Choro inſeruientes, vt certum, & ordinatum Horarijs diuinarum precum officijs tempus conſtituatur, per ſpatium vnius horæ ante Solis ortum, quolibet anni tempore Sacriſta, ſiuè ille ad quem pulſare Campanas ſpectat, in ſingulis Eccleſijs pulſet, detque ſignum, Aue Maria (vt fideles Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ patrocinium antè omnia implorare; & gratias Deo, quod noſtram mortalem carnem ex eadem puriſſima Virgine ſuſceperit, agere reminiſcantur) quo ſigno, Aue Maria dato, poſt mediũ horæ quadrantem, pulſet ad primam Miſſam immediatè poſt pulſationem, celebrandam ab eo, qui ſecundum ordinem tabellæ circà Miſſas celebrandas conſtituendum,
et si tenebitur eam celebrare; tunc temporis non aderit, pœna vnius caroleni mulctabitur. Poſtquam autem Sacerdos communionem peregerit, incipiat Campanam rurſus pulſare ad Matutinum ſecundum vſum Eccleſiæ, pro feſtiuitatum diuerſitate, & ſiuè vna ſit, ſiuè plures pulſationes, ſpatium pulſandi ita regatur, vt circà Solis ortum ſem-

Digitized by Google

ſemper inceptum ſit Matutinum. Matutino abſoluto, ſtatim recitabitur Prima, & ſi eo die ſacrificium pro Defunctis, vt de celebratione Miſſarum ſupra ſtatuimus, offerri debeat, poſt Primam ſtatim celebretur. Peracto verò ſacrificio Miſſæ, & interpoſito ſpatio vnius horæ, pulſabitur Campana ad Tertiam, & abſolutis Tertiæ, Sextæ, & Nonæ diuinis Officijs celebrabitur Miſſa Conuentualis, niſi ſecus in Ferijs Aduentus, Quadrageſimæ, vel Quatuor Temporum occurrentis feſti ratione ſeruandum ſit, & iuxtà Miſſalis, & Cęrimonialis regulas, altera Miſſa poſt recitatam Sextam cani debeat. Si verò Miſſa pro Defunctis non erit celebranda, ſpatium vnius horæ cum dimidio à fine recitatæ Primæ ad pulſationem Campanæ pro alijs recitandis Horis interponatur. Illud tamen caueatur, quod Miſſa Conuentualis cum cantu, & interuentu ſemper omnium Canonicorum, vel Sacerdotum, & duorum ſaltem Clericorum cum ſuis ſuperpellicijs aſſiſtentium, ſub amiſſionis integræ vnius punctaturæ pœna celebretur. Item & ſi quæ alia Miſſa eodem die ex conſuetudine, legato pio, aut alio iure ibi cani debet, eæ ambæ omninò canãtur.

CAP. VI.

CAntor, aut Primicerius, vel inter Sacerdotes, Eccleſijs, & earum Choro adſtrictos, is qui ex iuncti muneris, aut dignitatis ratione, vel conſuetudine Choriſtæ officium exerceat; ne aliquis (vt plerumque ſolet) error incidat; tabellã faciat de officijs in tota Hebdomada per ſingulos dies recitandis, tam in Matutino, & in Horis, quã in Miſſa, eaque die Sabbati ſeptem ante diebus futurę Dominicę, & totius reliquę Hebdomadę in Sacriſtia publicè affigatur. Primus ad Chorum antè alios accedat, curetq. vt Miniſtri libros pręparent, Inuitatoria ſignent, Hymnos,

nos, Antiphonas, Pſalmos, Lectiones, Miſſas cantandas Introitum, & reliqua, quæ canenda, vel recitanda ſunt, prçuideat, cçteroſque præmoneat, vt quæ recitaturi, aut cantaturi ſunt, anteà per ſe priuatim legant, & ad concinnè canendum ſe exerceant. Quia in his, quæ ad eius pertinent officium, ſub amiſſionis vnius diei diſtributionis mulcta, eidem obedire teneri decernimus. Et ne ob cantus ignorationem paucos ſemper, & eoſdem in noſtris Eccleſijs canere, aut ſi vices mutent, multos malè canentes, & potiùs obſtrepantes à populo audiri contingat. Statuimus vt nemo in poſterum recipiatur in partem, qui prçter alia requiſita, quæ in ſuo volumus robore permanere, cantum nõ calleat Eccleſiaſticum; qui verò admiſſus adhuc eiuſdem cantus notitiam non habet, & infra quatuor menſes non didicerit, dimidia, vel alia diſtributionum portione donec illum didicerit, arbitrio noſtro careat.

CAP. VII.

Diuinorum Officiorum ordo ad prçſcriptum Breuiarij Romani diſponatur, & cum inter Pontifices, & Confeſſores ſanctiſſimum Antiſtitem Herbertum noſtrum ſentiamus eſſe Patronum, Ciuitatiſque, ac Diœceſi Compſanæ, atque eorum Ciuium perpetuum defenſorem Archiepiſcopum, cuius Beatiſſimum Corpus in Metropolitana noſtra Eccleſia miraculis illuſtratum aſſeruatur, eius diem feſtum lçtiſſimum, & veneratione dignum duplicis Officij ritu de Communi Confeſſoris Pontificis die vigeſimo menſis Auguſti ſingulis annis in tota noſtra Diœceſi iuxtà Conſtitutionem per fel. rec. D. Scipionis Geſualdi prçdeceſſoris noſtri ſuper hoc factam celebrandum decernimus, ipſumque diem integrum ab Incolis, & Ciuibus Compſanis, Oppidorumque noſtrorũ Sancti Andreç, & San-

& Sancti Mennæ dictæ noſtræ Eccleſiæ Vaſſallis, & in cę-
teris locis huius Diœceſis vſque ad horam Nonam tan-
quam de Pręcepto obſeruari mandamus, ſi quorum autē
Sanctorum Corpora integra, vel ad formam Decreti ſa-
cræ Congregationis Rituum ſub die octaua Aprilis 1628.
promulgati, Reliquiæ inſigniores in aliqua noſtræ Diœce-
ſis Eccleſia reperiuntur, in ea tantùm Eccleſia in qua per-
manent, Officio, & Miſſa iuxtà Ritum, & Rubricas Breuia-
rij, & Miſſalis Romani honorentur, & in particularibus etiā
Eccleſijs Patroni Eccleſiæ, & Conſecrationis proprię, Of-
ficium duplex fieri, & Miſſam celebrari decens erit, ſed in
alijs Eccleſijs pręter officia in Breuiario Romano aſſignata,
vel per ſpeciale Summi Pontificis mandatum conceſſa, de
nullo alio Sancto fiat communiter ab omnibus Officium
duplex; Anniuerſarius autem dies Conſecrationis Archie-
piſcopi viuentis in tota Diœceſi ſingulo quolibet anno ſo-
lemniter celebretur.

De Diſtributionibus quotidianis.

NEminem, qui diuinis Officijs non interſit, diſtributiones quotidianas lucrari poſſe, Conſtitutione Bonifacij Octaui cap. vnico, de Clericis non reſident. in 6. nixi, & authoritate ſac. Conc. Trid. cap. 12. Seſſ. 24. de Reformat. ſed in commodum intereſſentium cedere, omnibus noſtræ Dictioni ſubditis notum facimus, & declaramus. Ideò non conferantur illis, qui quouis alio modo quam ob infirmitatem, vel vrſtam, & naturalem corporis neceſſitatem, aut euidentem Eccleſiæ vtilitatem, ſacris horis Choro non interfuerint, dummodo infirmitate detenti, antè illam intereſſe conſueuerint. Nulla enim Canonicorum, aut aliorum Sacerdotum pa-

ctio,

ctio, remiſſio, vel colluſio, nullumuè ſtatutum, aut conſuetudo quęcumque illa ſit valet, quibus abſenti eo die, vel ſacra hora, qua muneri ſuo defuerit diſtributiones quotidianæ dari poſſint, & ideò nefas ſit cuiquam eas accipere, quas ſi acceperit non faciat ſuas, ſed Eccleſiæ, vel alteri pio loco pro arbitratu noſtro reſtituere debeat.

Illud etiam, quod ſępè contingit, Canonici, & alij, qui Choro ſeruire tenentur meminiſſe velint, quod ſi diuinorum Officiorum tempore in Eccleſia celebrent, vel deuotionis cauſa, vel quia tunc temporis celebrare ſint obligati, non ex obligatione Eccleſiæ, ſed particulari, vel Organiſtæ officium exequantur, aut etiam confeſſiones audiant, diſtributiones quotidianas nullo modo lucrantur; niſi à Chori Pręfecto, eo tempore celebrare, vel ad confeſſiones audiendas incumbere cogerentur. Hoc tamen cautè adeò fieri debet, vt in quibuſdam maioribus feſtiuitatibus, & propter magnam populi frequentiam, neceſſitate vrgente facultas huiuſmodi tantum exerceatur. Licet autem ijs, quibus animarum cura imminet, eo tempore quo Diuina celebrantur officia, ſi cura animarum prępediti fuerint à Choro abeſſe, & pro pręſentibus habeantur, neque quotidianas amittant diſtributiones.

De Funeribus, & Exequijs. Caput I.

ARchiepiſcopo, qui dum viueret, Paſtoralis curæ ſtudio ſaluti animarum inuigilauit; mortuo, extrema charitatis officia non ſunt deneganda. Defuncto igitur Archiepiſcopo, tam in Metropolitana, quā in alijs Diœceſanis Eccleſijs pro eius anima iuxtà Cęrimonialis Epiſcoporum tenorem, vbi primum de illius obitu nunciatum ſit, ſolem-

lem-

Digitized by Google

lemnes exequiæ celebrentur. Et nouem ſingulis poſt eũ nuncium diebus, quibus per Eccleſiaſtici officij ritum poterit, ab omnibus Sacerdotibus Miſſa de Defunctis pro illius anima, aut ſaltem ſtata pro defuncto Archiepiſcopo Oratio dicatur, vt in ęterna recipiatur tabernacula. Hortentur itidem populum ſuum omnes Parochi, vt communi Parenti mortuo religioſis precibus, alijſque pijs ſuffragijs, quod ille viuens pro ſalute omnium prę̃ſtitit auxilium reddant.

Sacra etiã Anniuerſaria pro mortui Archiepiſcopi anima quotannis fiant, & ſacrificio priuato omnes ea comitari mandamus.

CAP. II.

ET cum ſancta, ſalubriſque ſit cogitatio pro Defunctis exorare poſt Cõmemorationem omnium fidelium Defunctorum, die immediatè ſequenti pro animabus omnium Archiepiſcoporum, in omnibus Eccleſijs exequias ſolemnes exolui, & altera die pro animabus omnium Sacerdotum, qui eiſdem Eccleſijs inſeruirent Anniuerſarium fieri; pro Benefactoribus deindè eiuſdem Archiepiſcopalis noſtræ Menſæ, ipſarumque Eccleſiarum infra Octauam Omnium Sanctorum huiuſmodi pium præſtare Officium; ac priuatas celebrare Miſſas omninò volumus, & præcipimus.

Cum aliquis etiam moritur Canonicus, vel Sacerdos Miſſam ab aliquo Canonico, vel Sacerdote reſpectiuè in eius exequijs decantari, omneſque Canonicos, ſiuè ſimplices Sacerdotes eiuſdẽ Eccleſiæ funeri, & illius exequijs intereſſe debere declaramus. Quicunque autem à funere, funeralibuſque officijs prędictis abſuerit, vel ipſis nondũ peractis diſceſſerit; eleemoſynis, emolumentoque eiuſdẽ

O fune-

funeris, & officij careat, ac punctaturæ vnius diei amiſſione, aut vnius caroleni pœna mulctetur: Parochos quoque omnes hortamur, & in Domino rogamus, vt Parochianis ſuis Indulgentiam ſępè proponant à felicis recordationis Gregorio Papa XIII. conceſſam, qui Veſpertino Campanæ ſono moniti, & ad memoriam mortis excitati, Pſalmum De profundis piè recitauerint, aut Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ter dixerint, intimo Deum religioſi cordis affectu perorantes, vt Defunctorum animas à Purgatorij ſupplicijs ereptas, ad ſempiterna cæleſtis vitæ gaudia ſua miſericordia perducat. Signum autem orationis huiuſce pro Defunctis dabitur ęre Campano hora prima noctis.

CAP. III.

VT in ſepeliendis hominum cadaueribus à recta Eccleſiæ Dei conſuetudine, nemo in noſtra Diœceſi recedat ante Solis ortum, & poſt Occaſum, mortuum efferri ſine licentia Noſtra ſpeciali, & intrà ſepulturam antè ſpatium duodecim ſaltem horarum ab hora obitus recipi prohibemus.

Nullum mortui corpus non adhibitis Eccleſiæ conſuetis cęremonijs ad ſepeliendum deferatur, quod etiam in ipſis infantium efferendis cadaueribus obſeruari iubemus. Et cum infantium baptizatorum humanda corpuſcula ad Eccleſiam deferuntur, Crux ſine haſta pręcedat, floribus, & frondibus cadauer, & feretrum ſpargere, & corolla caput ornare licebit. Et Eccleſiaſticæ perſonæ diuinarum recitatione Laudum, funus eorum proſequantur, ne ſi ſecretò, & priuatim ad Eccleſiam deferantur, aliquem non baptizatum in Eccleſiaſticam inferri ſepulturam contingat. Curent autem Parochi, vt qui baptizati fuerint in-

fantes,aut pueri,& antè vſum rationis obierint, promiſcuè cum alijs cadaueribus non ſepeliantur, & ſeparatas ab alijs ſepulturas omninò habeant.

Canonicus in poſterum nullus, aut Sacerdos cum alba, & multo minùs cum Planeta ſepulturæ cōdatur. Sed omnia, quæ Sacerdos, aut Canonicus ad celebrationem Miſſæ habebat deſtinata, Sacriſtiæ illius Eccleſiæ cui adſtrictus erat cenſeantur, & ſint ipſo facto poſt eius obitum applicata. Quæ verò à Rituali Romano circà ornatum in cadaueribus, & funeribus proſequendis pręſcripta ſunt, de cęteris ſeruari mandamus: & in ſingulis Eccleſijs feretrū, ac etiam pallium illud, quod feretro, & mortuo imponi ſolet omninò comparetur, idque omnibus in funere gratis commodetur.

Prohibeantur autem (quatenus opus ſit) etiam ſub excommunicationis pœna, mulieres propinquæ, vel affines cadauera aliqua ad Eccleſiam comitari, ne ſuper eorum ſepulturis planctum, & publicos vlulatus (quos conſueuerunt) edere valeant. Si quid autem ab auaritia deprauatum ſit, vt ad priſtinam pietatis rationem reuocemus, ad cadauer Defuncti pauperis, & miſerabilis perſonæ ſepeliendum, cuius æs ad expenſas funeris, & exequiarum non ſufficiat, Capitula omnia, & Eccleſiarum Sacerdotes ita obligamus, vt carolenorum trium pœna ab eo perſolui debeat, qui mortuum eiuſmodi ad ſepulturam non comitetur, vel antequam corpus in ſepulchrum illatum ſit ab Eccleſia diſcedat.

CAP. IV.

CVm Eccleſiaſtica carere debeant ſepultura, qui publici fuerint in excommunicatione defuncti; Hęretici etiam poſt mortem detecti;

Notorij Clericorum percuſſores, nulla etiam facta declaratione, aut denunciatione Interdicti dum viuerent ab ingreſſu Eccleſiæ.

Mortui in duello, vel torniamentis prohibitis.

Vſurarij manifeſti, niſi alienum reſtituerint, vel idoneã ſaltem de reſtituendo cautionem reliquiſſe legitimè conſtet.

Infantes, vel adulti, qui ſine Baptiſmo deceſſerint.

Qui in peccato publico, & manifeſto, nullo contritionis dato ſigno deceſſerint.

Qui ſe ipſos de induſtria occiderint, niſi vi morbi, vel inſaniæ ducti ſibi mortem conſciuiſſe conſtet, de quo iudicium Nobis reſeruamus.

Qui eo anno confeſſi non fuerint, & ſacram Communionem ex Pręcepto Eccleſiæ non ſumpſerint, & in mortis articulo id pręſtare cum potuerint non curauerint.

Supradictorum omnium cadauera, ab Eccleſijs procul ita iacere præcipimus, vt Clericorum canentium voces indè non poſſint audiri. Quod ſi per aliquorum violentiã, aut alio caſu, in Eccleſia, vel Cęmeterio Eccleſiaſtico ipſorum corpora tumulari contingeret, & ab aliorum cadaueribus diſcerni poſſint (ne qui ab Eccleſiaſtica vnitate viuentes præciſi fuerunt, fidelibus poſt mortem coniuncti remaneant) exhumari, & ab Eccleſiaſtica ſepultura omninò eiectari, ipſamque Eccleſiam, vel Cęmeterium deindè reconciliari diſtrictè iubemus: quos verò in his aliquo pacto deliquiſſe cognouerimus; pœnis à ſacris Canonibus indictis, & alijs etiam arbitratu noſtro grauioribus plectemus.

CAP. V.

PRo ſepulturæ loco in Eccleſia, vel Cęmeterio à Rectoribus nihil exigatur. Pias tamen, ac religioſas con-

conſuetudines mortuorum hęredes conſeruent, tam in adhibendis funeri luminibus, quã Clero eleemoſynis tradendis, & nullum per hoc decretum præiudicium illatum eſſe cenſeatur: quin ea, quæ funeralium nomine Metropolitanæ, & Parochiali Eccleſiæ ex ſacris Canonibus debentur, quibus nihil obſit, quominus quartam funeralium, quæ ex Decreto ſac. Conc. Trid. vel alia ex laudabili conſuetudine Archiepiſcopali Menſæ, & cęteris Eccleſijs perſolui ſolent conſequi poſſit.

Et vt Ius vnicuique ſuum integrum, illibatumque ſeruetur, pręcipimus ſub iniungendis noſtro arbitrio pœnis, ne quis Parochus alterius defunctum Parochianũ, abſque proprij Parochi licentia Eccleſiaſticæ audeat tradere ſepulturæ, atque nulli omninò tam Sęcularium, quam Regularium liceat inferre cadauer, aut ad ſepulturam recipere niſi Parocho præſente, & permittente.

De Sacriſtia, & eius Præfecto. Caput I.

QVi Sacriſtiæ Præpoſitus eſt, ſingulis diebus, Miſſis abſolutis, & diuinis Officijs peractis, ad quodlibet Altare accedat, & ſcopula illud mundet, poſteà coopereat tela ſtragula, tabellam ſecretorum ſuper Altaris planitiem deponat: deindè ſcopis maioribus ſcabellum ſuppedaneum emundet.

Candelabra, & Cruces ex orichalco, tertio quoque die panno adhibito, ab eo ſępè purgentur, & quarto quolibet menſe puluere pumicio, aut latere in ſubtiliſſimum puluerem redacto, corio, vel aſperiore panno cum aceto, vel ſucco mali aurei ſine aqua, adhibito, perfricentur.

Can-

Candelabra verò, thuribula, & cętera vaſa argentea nõ inaurata manibus rarò nudis, vnctis nunquam tractentur, & antequam reponantur, puluis, & cera ſemper excutiatur, mollique panno abſtergantur: cum aliquod ex ſupradictis purgatione indigebit, paleis combuſtis, panno lineo adhibito defricentur, aut ſi valdè ſit denigratum in lixiuio cum ſale ebulliente infundatur, & penicillo ex ſectis ſcirpis detergatur.

Calices vſuales vigeſimo quolibet die leui manu, aqua tepida lauentur, & ſexto quoque menſe ſapone liquido liniantur, exponanturque Soli per quartam horæ partem, poſteà in lixiuio calido benè abluantur, & peniculo præſertim vbi celatura fuerit abſtergantur, & à ſordibus expurgentur, tandem in aqua munda ter abluantur. Hæc tamen ab eo, qui in ſacris ordinibus conſtitutus ſit tantũmodo fiant, & in vaſe eidem vſui, & lauandis purificatorijs, & corporalibus tantum deſtinato, quod ex ablutione ſuperfuerit in Sacrarium ſemper fundatur.

Supellex omnis inaurata, aut inargentata eadem cautione tractetur.

Candelabra lignea, ſi ad vſum quotidianum ſint, octauo quoque die panno diligenter emundentur, cera (ſi fortè adhęſerit) leniter abraſa, idemque de maioribus Ceroferarijs, & Angelorum, ac alijs ligneis imaginibus fiat.

Lampades vitreæ quintodecimo quoque die furfure, & aqua calida abſtergantur. Altarium, mantilia ſuperiora ſingulis menſibus lauentur, inferiora verò quater in anno.

Corporalia, quæ ſunt quotidiani vſus ſingulis quoque menſibus mundentur.

Albæ, & Amictus itidem.

Purificatoria verò ſingulorum Sacerdotum octenis diebus, vel ad ſummum quindenis Vas pro lauandis Corporalibus, & Purificatorijs, abſtergendiſque Calicibus in-

qua-

qualibet Sacriſtia ſit æreum ſtamno illitum.

Inſtrumentum quoque ad hoſtias conficiendas aptum.

In qualibet Sacriſtia, vel propè illam omninò adiaceat Oratorium ad reconciliationes, præparationemque Sacerdotum celebrare volentibus accomodatum.

Vas etiam iuxtà erigatur ad abluendas Sacerdotum manus, & penès illud lintea ad tergendas manus pendeāt, quæ octonis quibuſque diebus mutentur.

Tabellæ Orationum, quæ ad Præparationem Miſſæ, & Gratiarũ actionem poſt Miſſam dicuntur in eodem Oratorio ſuſpendantur, & in locis vbi orare poſſint Sacerdotes, antè, & poſt Miſſarum celebrationem.

Tabellæ autem Orationum, quas recitare debet Sacerdos dum ſacris induitur veſtibus, ponantur in loco vbi à Sacerdotibus ſacrum facturis, commodè conſpici poſſint.

Laici omnes è Sacriſtia arceantur pœna (ſi opus erit) excommunicationis etiam iniuncta, nec aliquis Sacerdos, aut Clericus ibi colloquia miſceat inutilia graui pœna indicta.

Lauacrum ne graue oleat mundè, ac nitidè cuſtodiatur: & in hac re æditùus ſit perdiligens. Biretum ſaltem vnum, & duo Crepidarum paria in Sacriſtia pro Sacerdotibus ſemper habeantur, ne ad Altare cum calceamentis, aut calopodijs immundis accedant.

Et quia ſingulæ noſtræ Diœceſanæ Eccleſiæ plures habent Sacerdotes in vnaquaque illarum Sacriſtia, præter libros Choro neceſſarios; Miſſalia quatuor ad minus, Cęremoniale vnum Sacerdotale; Directorium Chori, Ritualia verò duo, Caſulas verò Albas, & Calices ad Numerum in Viſitatione per Nos deſcriptum adeſſe iubemus: & ea, quæ communi ſunt deſtinata vſui intrà particulariũ arcas detineri omninò prohibemus.

Duæ etiam tabellæ muris affixæ ſint, altera Clericorum

ſer-

ſeruitio Eccleſiæ adſcriptorum,altera ordinem contineat, qui à Sacerdotibus in celebrandis Miſſis ſingulis quibuſquè Hebdomadis ſeruari debeat. Et octauo quoque die renouetur.

Miſſæ verò ita deſtribuantur, vt populo commodè ſufficiant. Nec vnus ſacrum facturus prodeat Sacerdos è Sacriſtia, niſi præcedens finierit, vel Sacerdos ſaltem communionem ſumpſerit, qui non paruerit, pœna vnius caroleni ſtatim mulctetur.

Libri Baptizatorum, & alij ad curam Animarum ſpectantes iuxtà præſcriptum à Rituali, & à Nobis ordinem, & numerum retinendi, in Sacriſtia diligenti cuſtodia cõſeruentur ne per obitum Archipresbyterorum, ſeù aliorũ curam Animarum exercentium in priuatis eorum domibus amittantur, vel ipſis forſan viuentibus intercipiantur, aut corrumpantur. Qui dignitatis, aut officij ratione, primum in Eccleſijs pro tempore locũ obtinebit, ſub duorum ducatorum pœna, ſexto quolibet menſe veſtimenta, & ſupellectilem omnem Sacriſtiæ inuiſat, & quæ reficienda, aut reſarcienda, aut mundanda Nobis, aut noſtro Vicario Generali ſtatim denunciet. Et eidem curæ ſit, vt Eccleſiæ Theſaurario, vel alio Sacriſtæ ſupellectilis Cuſtode decedente, omnia ſucceſſori per Inuentarium ab eo ſubſcribendum conſignentur, Reliquiæ oſtendantur, & tandem exacta de omnibus ratio cuicunque in eodem officio ſuccedenti reddatur.

Vt Archiepiſcopo innoteſcere poſſit an ſui Sacerdotes ſingulis ſaltem ſolemnibus, & Dominicis diebus Miſſam celebrent. Conſtituatur in Sacriſtia liber apud Archipreſbyterum, ſeù Parochum retinendus, in quo in ſingulos dies omnes Sacerdotes quicunque, ſiuè deuotione, ſiuè ex obligatione celebrauerint ſtatim ſe deſcribant.

De

De Capitulo. Caput I.

QVemadmodum Eccleſiaſticas perſonas iuxtà ſacrorum Canonum diſpoſitionem viuere decet, vt re ipſa non tantum nomine Eccleſiaſtici eſſe videantur, ita etiam vt vnuſquiſque Nobis ſubditus, quod ad ipſum ſpectat officium libenter exequatur, omniſque diſcordiarum, & diſcriminum in pertractandis maximè Eccleſiarum negotijs amputetur occaſio magnopere expetimus. Cum igitur Capitula celebrantur, ſingulis ſuis in locis ex ordine ſedeant, & ſuam modeſtè ſententiam dicant, iurgia, rixæ, & vociferationes procul ſunto, tumultus non excitentur. Qui rixarum auctor fuerit, aut alterum iniuria affecerit, Capitulo ſtatim excludatur, & ab illius ingreſſu ad tempus arceatur, ac diſtributiones quotidianas per menſem amittat. Si quis autem (quod Deus auertat) violentes manus in aliquem in Capitulo inijciat, & reliqui præſentes Nobis, vel Noſtro Vicario non reuelaucrint ab officio, & beneficio ipſo facto ſuſpenſi cenſeantur.

CAP. II.

COnuocentur Capitula bis ſingulis menſibus, hoc eſt prima die menſis, & decimaquinta non impeditis, quæ ſi fuerint impeditæ, primis ſubſequentibus diebus pariter non impeditis congregentur. Cum autem extrà ordinem prædictum Capitulum erit celebrandum, ne intetereſſendi facultas indirectè, vel inſidiosè alicui auferatur. Statuimus, vt domi omnium, qui debent intereſſe intimatio pro die, & hora certis fiat, & qui hoc fuerit executus Capituli ſcribæ referat; vel ſi vrgens neceſſitas aliud

poſtularet, tunc primam habens in ea Eccleſia dignitatẽ, vel eo abſente alter dignior, ſono Campanæ à turri præcedente, Capitulum conuocare poſſit. Capitula tamen, dum diuina celebrantur Officia ne conuocentur; & illud in primis aduertatur nullum vnquam Capitulum fore legitimum, in quo ex tribus Canonicorum, aut Sacerdotũ participantium partibus duæ ſimul non conueniant: ex quibus maior pars in deliberatione ſemper euincet: qui ſtatis conuocando Capitulo diebus, & alias, vt ſupra legitimè vocatus, præſens non aderit, vnius diei diſtributionis amiſſione plectatur, & in duplo pœnæ delinquentibus appoſitæ puniatur ille, cui punctaturæ onus incumbit, ſi tranſgreſſores celauerit, aut punctare diſtulerit.

CAP. III.

Capitula non antè celebrentur, quam precibus ad inuocandam ſancti Spiritus gratiam per digniorem de Capitulo præmiſſis, nec ſine gratiarum actione diſſoluantur. Procuratores autem Capitulorum, ſcribæ omninò ſubeant vices, & Capituli acta, & quas vocant Capitulares ordinationes in librum certum, notatis ſingulis diebus, ſine mora deferant, idemque liber in Archiuio diligenter aſſeruetur; nihil niſi per vota ſecreta expediatur, & vnuſquiſque ſuffragium ſuum proprijs manibus per fabam, ſiuè lapillos ſecretò ferat; vt liberior omnibus in ſententijs dicendi facultas præbeatur, aliter factum irritũ dicimus; quæ in Capitulo tractantur externis patefacere nefas ſit. Iuſiurandum verò, quod in ingreſſu Capituli dari conſueuit, eos non ligare declaramus, qui errata, & ea, quæ emendationem deſiderent ad Nos, vel alios Superiores deferent.

CAP. IV.

QVod muneris, aut officij à Capitulo demandatum fuerit, id niſi ex cauſa quam adhibet, per Nos, aut Noſtrum Vicarium Generalem approbanda, ſub arbitrio noſtro pœnis infligendis nemo recuſet. Quicunque autem in Choro recitare Officium tenetur,& quotidianis diſtributionibus propter prædictas aliquas tranſgreſſiones amiſſis, diuinum in Choro præſtare Officium, diſtulerit, grauioribus à Nobis ſubijcietur mulctis. Singulorum tandem Capitulorum, & laudabiles conſuetudines, & Priuilegia à prædeceſſoribus noſtris conceſſa, quę ſacris Canonibus non aduerſantur, vt præſenti Decreto confirmamus, & approbamus; ita eas, quæ contra Iuris, & Conciliorum diſpoſitiones, aut noſtras Synodales Cōſtitutiones inualuerint, vel ab iiſdem conceſſæ ſint, nullius eſſe roboris, & momenti decernimus, & declaramus.

De Vita, & Honeſtate Clericorum. Caput I.

SAcerdotum vita, & exempla illorum, qui ſe Diuino miniſterio dedicarunt; fideles alios ad innocentiam, ac pietatem ita inſtruunt; vt ſi integrum fuerit Sacerdotiū totam Eccleſiam florere; ſi autem corruptum fuerit, reliquorū etiam fidem marcidam eſſe ſæpè audierimus. Cum enim Paſtor per abrupta graditur, conſequens eſt, vt Grex etiā ad præcipitia ſequatur; omnes igitur (quotquot ad Eccleſiaſticæ vitæ genus aſſumpti ſunt) Noſtro moderamini demandatos, hortamur, & in Domino enixè rogamus,

vt à recta viuendi via ne minimum quidem vnguem deflectant, ne vè quidquam quod non ſimplex, caſtum, integrumquè non ſit præſeferant, & eas rectè viuendi formulas, quas partim à ſacra Tridentina Synodo deſumptas, partim ex veterum Canonum fontibus hauſtas conſtituimus, exequentes, amplectentur: quoniam gaudio tunc implebitur cor Noſtrum, & opus ad perfectum ſcopum perduxiſſe Nobis videbimur, cum ea, quæ ad honeſtam Clericalis vitæ diſciplinam pertinent, diligenter ſeruari nouerimus.

CAP. II.

ET quia proprio congruentem ordini habitum geſtare oportet ſub pœnis in Conſtitutione Xiſti Papæ V. incipiente, *Cum ſacroſancta, &c.* Contentis, & à ſacro Concilio ſtatutis, Clerici omnes, & Sacerdotes veſtibus talaribus vtantur, atque ita honeſtis, vt breuiores non induant, niſi valdè ſint pauperes, & hi vltrà genua etiã illas protenſas habeant, vt à Clericali dignitate, & honeſtate non abhorreant. Caueant etiam ne alicuius coloris veſtes, manicas, aut caligas veſtiant ſub quatuor ducatorũ pœna locis pijs applicanda, tonſuram gerant, & eam quintodecimo quoque ſaltem die renouent. Biretũ, non pileum, intrà Eccleſias, & in ſacris Proceſſionibus (niſi pluuia vrgēte) adhibeant. Crines, ſeù cincinnos Clerici ne nutriant, Sacerdotes verò barbam à ſuperiori labro ita reſicent, vt ſumptioni Corporis, & Sanguinis Domini non ſit impedimento; nemo autem à noſtra Diœceſi diſcedere, & diù abeſſe: nec aliquam commiſſionem extrà Noſtrum Tribunal expeditam ſub excommunicationis incurſus pœna ſuſcipere vnquam audeat, niſi prius à Nobis, aut Vicarij noſtri Generalis obtenta venia, & dimiſſoria in forma conſueta, gratis concedenda.

CAP.

CAP. III.

ARma cuiuſuis generis offenſiua, vel defenſiua, neque interdiù, neque noctu deferant Latronum, Bannitorum, aut quorumuis flagitioſorum hominum receptatores ne ſint. Venationes contra ſacrorum Canonum diſpoſitiones non exerceant, alearum, teſſerarum, & taxillorum ludos omninò euitent, in ludis verò exercendi corporis gratia, recreandi animi cauſa permiſſis, ità ſe gerant, vt ab omni auaritiæ ſuſpicionis labe procul eſſe videantur, nec in ijs multum temporis abſumant, aut in locis publicis occupentur. Ad Cauponas, & tabernas niſi in itinere neceſſitatis gratia non diuertant, à Choreis, Comedijs, & ſpectaculis viſendis, agendis, aut recitandis abſtineant, iocularia ridicula, & ſcurrilia omnia, quæ pietati multum officiunt, commeſſationes, & ebrietates fugiant, & deteſtentur; Aeſtatis tempore nocte poſt primam horam, Hyemali verò poſt duas horas noctis extrà domos ſuas ne deambulent, & ſi neceſſitas aliqua vrgeat, lumen ſecum deferant. Cantilenas non recitent, nec alijs eas recitantibus ſe commiſceant. In omni tandem geſtu, & ſtatu ordinem ſuum Sacerdos, & Clericus profiteatur, & religioſi animi mores exprimat.

CAP. IV.

ILlicitas negotiationes, & mercaturas, neque per ſe, neque per alios exerceant aliena prædia lucri gratia, & vectigalia ne conducant, neque cum eorum conductoribus participent. Non fruges, oleum, & alios terræ fructus, vel aliarum mercium genera per ſe, vel per interpoſitas perſonas emant, vt carius vendant, Aduocati etiam, & Procuratoris partes coram Iudice ſeculari ne ſubeant, & mul-

to minùs querelas exponant. Nullius tutelam, aut curam niſi de licentia Noſtra, etiam miſerabilium perſonarum, ſuſcipiant. Extrà Curiam noſtram Nobis inconſultis pro alijs non fideiubeant; ſententiam ſanguinis nullo modo ferant, aut dictent; neque teſtimonium in foro ſęculari præſtent, ſed potiùs omnes ad concordiam, & pacem exemplo, & verbis hortentur, memores tandem ſuæ conditionis ſint; Rurale opus Mercenariorum more non faciant, nec Iumenta ipſi agant onerata, aut ea quouis modo cuſtodiant, vel paſcant. In famulatu Laicorum ne ſint, nec Eccleſiaſticis Perſonis vilia officia præſtent, aliaque huiuſmodi vitent, quibus ſæpè fit, vt contemptui ſit Eccleſiaſtici miniſterij dignitas.

CAP. V.

FOeminis cuiuſcunque generis (conſanguineis tantùm proximioribus exceptis) non cohabitent; conuerſationem habeant bonam, & illorum commercia deuitent, qui publicè ab omnibus malè audiuntur, ſed potiùs ad illos crebrò ſe conferant, qui honeſtatis teſtimonio commendantur, ac in ſpiritualis vitæ ſtudijs verſantur. Colloquijs inhoneſtis, quæ bonos corrumpunt mores, ne aures præbeāt, nec libros, qui res turpes, obſcęnas, vel laſciuas continent legant, vel apud ſe retineant. Qui verò in ſupradictis aliquo pacto deliquerit, aut ſuæ vocationis oblitus, mores ſuos ad honeſtæ vitæ diſciplinam conformare neglexerit, ſalutaribus pœnitentijs, vel carcere, aut pecuniarum ſolutione, vel exilio, aut ab exercitio ſuorum ordinum ſuſpenſione, vel alijs etiam grauioribus pœnis pro modo culpæ, & iuxtà ſacrorum Canonum diſpoſitiones arbitrio Noſtro coercebitur, & punietur.

CAP. VI.

Clerici Eccleſiæ cuius fuerint ſeruitio adſcripti, Feriatis diebus per Hebdomadas omninò ſeruiant ſingulis autem Feſtis diebus de Præcepto eidem ſeruitio aſſiſtant omnes, quicunque defecerit animaduerſionis noſtræ rigori ſubijcietur, & ſi culpa id requiſierit, habitu, & priuilegio fori, vt ſuprà decreuimus etiam priuabitur.

Ex his Clericis, qui ſunt conſtituti in ordine Diaconatus, aut Subdiaconatus ſæpè eligantur, vt maiori Miſſæ in diebus Feſtis cum Dalmaticis deſeruiant, & dum in tali miniſterio deſeruiunt ſemper ad Altare poſt ſuſceptionem Calicis ambo à Sacerdote celebrante cõmunicentur. Reliqui verò minoribus tantum ordinibus initiati ſecundum officia ſuorum ordinum in miniſterio Miſſæ, ac celebratione diuinorum Officiorum diſtribuantur, & in functionibus ordinum exerceantur, omnes etiam ſingulis ſaltem Dominicis primis diebus menſis ſua peccata confiteri, & ſacram Euchariſtiam ſumere volumus. Scholas etiam Grammaticæ, & Muſicæ frequentent. Inobedientes autem quoſcunque ab vlteriorum ordinum ſuſceptionę ſemper repellemus, & grauiter etiam in dies puniemus; Parochi verò, & Sacerdotes ſtudia grauiora amplectantur; tempus quod à diuinis Officijs illis ſupereſt, id omne nõ in prophanis actionibus, ſed in ſacris Lectionibus traducant, & in Cæleſtium rerum contemplationibus, ſanctis, pijſque officijs conterant libros habeant ad minus neceſſarios, & perlegant, veluti Bibliam ſacram, Catechiſmum Romanum, Concilium, Tridentinum, has noſtras Synodales Conſtitutiones, aliquas Caſuum conſcientiæ ſummas, alioſque pios libros, & ſpiritualium exercitationum ſtudia ſuſcipiant, & ſe non ad inertiam, & ignauiam, ſed ad Eccleſiaſticæ militiæ labores vocatos fuiſſe ſæpè cogitent, & quam diſtrictam Diuinæ

Ma-

Maieſtati in vltimo Iudicij die pro animabus, ac totius populi peccatis reddituri ſunt rationem animo ſecum repetant, vt cum Dominus venerit, vigilantes eos inueniat, & ſuper bona, quæ poſſidet illos conſtituat.

De Caſuum Conſcientiæ collationibus. Capvt I.

QVoniam beneficiorum fructus, & diſtributionum maſſæ in Metropolitana, & alijs Eccleſijs noſtris ſunt adeò tenues, vt nulla in eis præbenda, nec fuerit in præteritum, nec in futurum erigi, aut aliquis conduci poſſit Sacerdos idoneus, qui ſacram Scripturam, vel Caſus conſcientiæ legat & explicet. Vt exercitatione, & caſuum conferentia alter ſaltem, alterum adiuuet, & doctior infirmiorē ſubleuet. In ſingulis Noſtris Eccleſijs Sacerdotes, & omnes in ſacris ordinibus conſtitutos ſemel in Hebdomada conuenire, & caſuum conſcientiæ conferentias inter eos fieri mandamus, quarum forma hæc ſit. Proponat aliquis à Nobis, aut Noſtro Vicario Generali in vnoquoque Sacerdotum conuentu eligendus per octo dies anteà, caſus à ſe defendendos, ſtatuta verò die, poſtquam omnes conuenerint, præmiſſa ſancti Spiritus Oratione, idem circà concluſiones à ſe propoſitas aliqua præmittat, & quatenus opus eſſe, cognoſcat, terminos declaret, deindè omnes, qui ab ipſo defendente interrogati fuerint, vnus poſt alium ſententiam ſuam, vel argumenta modeſtè proferant. Quibus cum fuerit ſatisfactum, cæteris etiam liberum ſit alia argumenta ſi voluerint in medium afferre, & qui erit Congregationis Præpoſitus omnia dicta tandem breuiter colligat, & in vnum referat. Ab-

ſolu-

ſoluta conferentia publicentur Caſus in proxima futura Congregatione proponendi. Vltimo recitata Oratione, quæ pro Gratiarum actione aſſignatur,& alia pro benefactoribus, Conuentus dimittatur. Omnes autem Sacerdotes, vt ſuprà diximus, & Clericos ſacris ordinibus initiatos ad intereſſendum ſupradictis conferentijs obligatos eſſe volumus, ijs tantum exceptis, qui propter ſenium, aut aliam legitimam cauſam, vel omninò ſemper, vel aliquando eximendi Nobis eſſe videbuntur. Et punctatoris Hebdomadarij partes ſint indicem conficere, in quo Sacerdotum, & Clericorum omnium nomina ſint deſcripta, & antequam conferentiæ principium detur, omnibus per Clericum ibi vocatis quotquot abeſſe compertum fuerit, punctatos ad noſtrum Vicarium Generalem renuntiet, pro prima vice duorum, pro ſecunda trium, pro tertia quinque carolenorum, & ſic deinceps pœna mulctandos. Sacriſtiæ verò loci in quo reperti fuerint, huiuſmodi contumaces, pœnas omnes prædictas ex nunc applicatas eſſe declaramus. Et Concluſiones propoſitas, illarumque reſolutiones alternis menſibus ab vnoquoque Cõgregationum Præfecto ad noſtrum Vicarium Generalem tranſmitti mandamus. Et per Vicarios noſtros Foraneos ſupradicta omnia ità curari volumus, vt excommunicationis latæ ſententiæ vinculo irretiti remaneant ipſimet Vicarij locorum Foranei, ſi aliquod circà præmiſſa erratum cum effectu punire, aut Nobis notum facere diſtulerint.

De Seminario Clericorum.

SEminarij inſtitutio à ſacroſancta Tridentina Synodo ſingulis Cathedralibus Eccleſijs ſalutariter præſcripta; vt adoleſcentes ad pietatem, & religionem à teneris annis informentur, & ſicut nouellæ oliuarum plantationes bonorum operum, fructuſque vberes in tempore ſuo ad fidelis populi vtilitatem ferant. Cum cenſus, ac redditus ex noſtræ Archiepiſcopalis menſæ vniuerſi Cleri Nobis ſubiecti, Confraternitatum, Eccleſiarum, & aliorum piorum locorum fructibus ad ſuſtentationem eiuſdem operis ſint conſtituti; vt ſecundum rectè, piequè viuendi formulas, & eiuſdem ſacri Concilij Tridentini regulas maximè gubernetur, & progrediatur. Nemo in Seminarium admittatur, qui ad minimum duodecim annis ex legitimo matrimonio non ſit natus; & quem ingenium, & habilitas ad litterarum ſtudia, probatæque vitæ mores ad Eccleſiaſticam diſciplinam propagandam, & ſacra exercenda miniſteria aptum non oſtendant. Et quamuis pauperum filios præcipuè eligi Decreto Concilij caueatur. Ditiores tamen non excludantur, qui ſumptibus ſuis alantur, & eiſdem Legibus habitus, & clauſuræ, morumque diſciplinæ quibus cæteri eiuſdem Collegij pueri viuunt. Omnes autem Clericali tonſura, & habitu vtantur, ſacrificio Miſſæ ſingulis diebus interſint, & feſtis maioris Eccleſiæ deſeruiant, præter Grammaticæ, Muſicæ, ac alia in Seminarij Conſtitutionibus præſcripta Studia, Rituum, & Cæremoniarum Eccleſiaſticarum vſum frequentent, eaſque decorè quantum fieri poſſit præſtare ſtudeant ſingulis menſibus Confeſſario ipſis aſſignato ſua peccata confiteantur; ſanctiſſimamque iuxtà illius iudicium Euchariſtiam ſumant;

manè

manè poſtquam è lecto ſurrexerint, & veſperi antequam cubitum eant, etiam per horæ quadrantem orabunt, & Litanias Sanctorum recitabunt, & examen conſcientiæ faciēt. Abſque Rectoris licētia nemini ſit facultas à Collegio exeūdi; in caſibus verò permiſſis non niſi bini, & ea, qua decet adoleſcentes religioſos modeſtia, & grauitate progrediantur. Conſtitutiones Seminarij ſingulis quibuſcunque menſibus ſemper perlegant præſertim, quæ ad religionē, ac vitæ honeſtatem pertinent, eaſque diligenter obſeruent, ac omnem Magiſtro, & Rectori obedientiam iuxtà cuiuſcūque officium præſtent. Quoſcunque enim virtuti parum deditos, vel malorum morum ſeminatores, aut ſectatores reperiemus, acriter ſemper puniemus, & à contubernio etiam eijciemus.

De Confraternitatibus, ac alijs locis Pijs, eorumque Adminiſtratoribus. Cap. I.

VT Confraternitates, & Pia loca omnia fideliter, diligenterque adminiſtrentur, Magiſtri ſiuè quocunque alio nomine nuncupentur, piorum locorum adminiſtratores, omnes ſuæ villicationis rationem coram Nobis, aut Vicario Generali, vel alijs à Nobis deputatis ſingulis annis iuxtà Concilij Tridentini Decreta omninò reddere teneantur. Quod ſi moniti non paruerint per carcerationem, & Eccleſiaſticas cenſuras compellantur, nec adminiſtrationem antè ſuſcipiant, quam iuramentum in manibus Vicarij noſtri Generalis, aut Foranei cuiuſcunque loci præſtiterint, de rectè, ac fideliter adminiſtrando, deque non alienando bona, vel ea præter eiuſdem Pij loci inſtituta aliquo modo diſpenſando. Et in-

uentarium omnium bonorum mobilium, & ſtabilium, iurium, & actionum confecerint, illiuſque exemplum à publici Notarij manu ſubſcriptum in Archiuium Curiæ Noſtræ detulerint.

CAP. II.

IN electionibus autem Magiſtrorum, & aliorum adminiſtratorum faciendis, ſecreta omninò ſuffragia dentur, nihil amicitiæ, aut ſanguinis gratia fiat, & qui minus idoneos, vel inutiles elegerint de manu illorum omnia errata Deum requiſiturum fore meminerint, debitores ipſorum locorum Piorum, & qui dati, & accepti rationem reddere non valeant nunquam eligantur. Et eorum electio ſit ipſo iure nulla. Procuratores ſingulis annis mutentur, aut ſemel tantum, ſi noſtrum etiam accedat beneplacitum, confirmentur; Magiſtri verò ſingulis quibuſque biennijs eligantur, nec abſque noſtra, vel Vicarij noſtri Generalis approbatione illorum confirmatio teneat. Et omnia tandem, quæ in viſitatione noſtra circa huiuſmodi electiones per Nos ſancita ſunt obſeruentur, quæ contra illorum formam facta fuerint, irrita fore decernimus.

CAP. III.

COnfraternitates nouæ, niſi de Sedis Apoſtolicæ, aut Noſtra auctoritate non erigantur, in numerum autem Confratrum, nemo peccati publici labe notatus admittatur, comeſſationes, conuiuia, vel ſpectacula, maximè locorum piorum expenſis, aut peregrinationes, nullo modo à Confraternitatibus exerceantur. Confratres habitu Confraterniæ induti arma non deferant; Regulas, & Conſtitutiones ſuis Confratribus præſcriptas, præuia Ordinarij

appro-

approbatione ſeruent. Rixas, & diſſentiones euitent. Et ſi quid inter illos quod ciuiliter, vel criminaliter in Iudicio tractandum videatur, acciderit; abſque licentia Confeſſoris Confraternitatis, decem librarum ceræ Confraternitati applicandæ, mulcta etiam appoſita, illud intentare nefas ſit.

CAP. IV.

VT dotes, quæ ex laudabili conſuetudine, vel Defunctorum pia diſpoſitione à quibuſdam Confraternitatibus in Maritandis puellis erogari ſolent, rectè diſtribuantur, Nemini in poſterum dotis ſubſidium contra, vel præter ordinationes, & regulas vnicuique Confraternitati, aut loco Pio præſcriptas poſſe aſſignari, & ab omnibus Magiſtris, ſeu Confraternitatum deputatis in ipſa dotium conſignatione cautiones, & cautelas eius generis recipi mandamus, vt ſine filijs decedentibus, vel minus honeſtā vitam degentibus mulieribus, facili modo à Confraternitatibus dotes recuperari valeant. Illis autem puellis dotes præcipuè conſtituantur, quæ ob paupertatem, & honeſtatem tali dignæ ſint ſubſidio. Nihil ſanguini, aut carni tribuant Deputati, ſed tanquam fideles Dei diſpenſatores, tantò integrius fore ſalua huiuſmodi bona meminerint, quantò ſanctiùs probabuntur expenſa, & ne Procuratoribus, aut alijs Confraternitatum, & locorum piorum Officialibus ex conſtitutis dotibus, puellis etiam ipſis, aut earum maritis conſentientibus, ſurripere liceat (quod non ſine magno animi noſtri dolore, ſolutione dotium nimis dilata, interdum factum fuiſſe cognouimus) non ſolùm ex dotis conſtitutæ quantitate aliquid ſubtrahentes, vel retinentes, ſed ipſos etiā ſubtractioni, vel retentioni aliquo modo (licet in proprium conſentientes damnum) excommunicationis latæ ſententiæ vinculo obnoxios eſſe volumus, & declaramus.

De

De bonis Eccleſiæ, & Piorum locorum non alienandis, vel vſurpandis. Cap. I.

VT bonorum Eccleſiaſticorum, quæ patrimonium Chriſti ſunt, vſurpatio, aut contra Canones, & Summorum Pontificum Conſtitutiones alienatio, vel vltrà triennium locatio, quo magis fieri poteſt ab omnibus ſiue Clericis, ſiue Laicis euitetur, Decretum ſacri Concilij Tridentini *ſeſſ. 22. cap. 11.* quo anathemate damnantur, bona Eccleſiæ vſurpantes, vulgari editum lingua, & Pauli Papæ II. quæ incipit, *Ambitioſæ*; diebus quibus maior populi frequentia ad Eccleſiam conuenire ſolent, bis ſaltem in anno alta voce recitari mandamus, vt omnes quid vetitum ſit illis, & quas incurrant pœnas faciliùs ſcire, & intelligere poſſint, ac omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, & aliorum Piorum locorum Procuratoribus, & Adminiſtratoribus ſub excommunicationis, nullitatis, & alijs pœnis tam in Edicto de anno *1645.* ſuper hoc emiſſo expreſſis, quam etiam noſtro infligendis arbitrio, ne cenſus, & alios quoſcunque tam mutui, quam venditionis, contractus abſque Noſtra, vel noſtri Vicarij Generalis ſcientia, & approbatione in ſcriptis obtinenda, celebrare audeant expreſsè prohibemus.

CAP. II.

NEmini Eccleſiaſtica beneficia obtinenti, vel Piorum locorum adminiſtranti, affinibus, aut conſanguineis ſuis intrà tertium gradum, Eccleſiarum ſuarum, aut Piorum locorum, quæ adminiſtrauerint bona, ſub vigintiquinque duca-

ducatorum, nullitatis cōtractus, & alijs arbitrio noſtro pœnis, in Emphyteuſim, aut ad cuiuſuis temporis ſpatium locare liceat, niſi euidens, & magna Eccleſiæ, & Piorum locorum vtilitas noſtro declaranda iudicio (præter alia Iuris requiſita) ſecus poſtulauerint; Arboris etiam viridis, & vitis inciſionem omninò prohibemus vnius ducati, vel alias iuxtà damni, & tranſgreſſoris qualitatem mulcta illis adiuncta, qui contra Iuris regulas, & Noſtram hanc ſanctionem ſinè licentia Noſtra, vel Noſtri Generalis Vicarij per ſe, vel per alios attentaſſe, præſumpſerint.

CAP. III.

ET ne temporum iniuria, vel hominum deſidia Eccleſiarum, & locorum Piorum bona deperdantur omnibus, & quibuſcunque Capitulis Eccleſiarum, & alijs priuatis perſonis de quolibet Eccleſiaſtico beneficio prouiſis, & in futurum prouidendis, ſiue illa curata ſint, ſiue ſimplicia, necnon omnibus, & quibuſcunque Piorum locorum Adminiſtratoribus, hac Synodali Conſtitutione præcipimus, & expreſsè mandamus, vt infrà trium menſium ſpatium à die impreſſionis, & publicationis præſentium computandum, omnium, & ſingulorum bonorum mobilium, & immobilium, iurium, actionum, annuorum cenſuum, ſeù reddituũ, nominumque debitorum, & aliarum quarumcunque rerum quouis titulo ad ſuas Eccleſias, ſeù pia loca pertinentium, rationem diligentiſſimè perquirere, atque illorum Inuentarium in quo fines, conditiones, & cætera omnia ſigillatim deſcribantur, per publicum Notarium conficere debeant, vocatis ad id ſi opus erit omnibus aliquo modo intereſſe prætendentibus, vt res cautiùs agatur; duo autem eiuſdem Inuentarij authentica exemplaria fiant, vnum apud ſe, vel Eccleſiam ſuam, vel pium locum vnuſquiſque

quę retineat; alterum quod in Archiuio noſtro Archiepiſcopali perpetuò conſeruandum tradatur; cum verò Capitulis Eccleſiarum, vel beneficijs Eccleſiaſticis, aut pijs locis aliquam bonorum acceſſionem piorum hominum, vel donatione, vel vltimæ voluntatis diſpoſitione fieri continget, eius rei duo item documenta publica conficiantur, & Inuentario prædicto vnum adijciatur, alterum verò penès Capitulum, vel Beneficiatum, aut Piorum locorum Adminiſtratores remaneant.

CAP. IV.

NOtarij quicunque de teſtamentis, aut alijs pijs vltimis voluntatibus in quibus aliquid, vel hæreditario iure, vel titulo legati, Eccleſijs, vel Pijs locis relictum fuerit rogati, id infrà vnius menſis ſpatium non ſolum eidem Eccleſiæ, aut pio loco, verùm etiam Nobis, vel noſtro Vicario ad quos omnium piarum diſpoſitionum executio iure pertinet, ſub excommunicationis pœna deferre teneantur, ne ex ignoratione relictorum (quod plerunque accidit) Eccleſia, & pia loca iuribus ſuis priuentur, & opportunum remedium diutiùs, quam par eſt differatur. Moneant proptereà illos perſæpè Parochi, vt in legatis, & huiuſmodi pijs relictis opportunè denuntiandis, ea qua deceat ſolertia vtantur, nec animarum ſuarum perniciem in piarum cauſarum præiudicium incurrant.

De

De Decimis. Cap. vnicum.

CVm omnibus de ſua ſubſtantia Dominum honorantibus, & de primitijs frugum ſuarum partem ei dantibus, terrena, & Cæleſtia munera promittantur, apud quem verò Decima, ijs, qui ſpiritualia miniſtrant, debita, remanſerit, ex ſacrorum Canonum traditione, multa mala illi eueniant, & quæ Sacerdoti noluerint homines dare, impio militi ſæpè dari contingat; Curati omnes Decretum ſacri Concilij Tridentini Seſs.25. cap.12. Populo ſuo vulgari ſermone ſingulis annis tempore meſſium,& fructuum annunciabunt: & tribus diebus feſtiuis continuatis,quando maior populi frequentia in Eccleſia conuenerit, ſub excommunicationis pœna omnes, & ſingulos monebunt, vt decimas, vel decimarum quotam iuxtà cuiuſcunque loci conſuetudinem infrà certum tempus ſoluere debeant, nec ſibi eas, quæ ad Eccleſias pertinent aliquo modo vſurpare præſumant. tempore deindè ſtatuto exacto, contra omnes illos, qui decimas non ſoluerunt, vel eas ſibi vſurpauerunt, auctoritate Noſtra generaliter ſententiam excommunicationis proferant, à qua niſi facta debita ſolutione non abſoluantur.

De Monialibus. Caput I.

REgularium mulierum, quarum vnicum eſt in Diœceſi noſtra Monaſterium, licet ea ſit diſciplina,& piè rectèque viuendi formula inſtructum, vt earum integritati, & bonis operibus ex noſtris documentis nihil addi vel ſit neceſſe, vel poſſit, ex iuſſo tamen Tridentini Concilij, ac fortunis illarum conſulendo,

vt in Orationibus, & in rerum Diuinarum contemplatione liberiùs conquieſcant, pauca quædam pro loci, & temporum ratione ſtatuimus.

CAP. II.

NE Monaſterij pauper cenſus, dum Monialibus ad victum neceſſaria ſuppeditare non valet, illas à curſu, aut à debito Diuini obſequij ſtudio amoueat, vel retardet, certum earum numerum iam à Nobis conſtitutum nunquam augeri poſſe decernimus, niſi facta Monaſterio annua, quæ ſatis ſit, fructuum tali acceſſione, vt ex facultatibus loci plures in eo ſuſtentari poſſint Moniales. Quæcunque autem voluerint vltrà præfatum numerum recipi, ſi duplicatæ dotis ſolutionem fecerint, admittantur, & quæ à ſacra Congregatione Regularium præſcribi ſolent, omninò ſeruentur.

CAP. III.

CVm primum Puellæ ad ſuſcipiendum ſacrum habitum offeruntur, Monialium Præfecta, quæ dicitur Abbatiſſa, parentes, vel eos, quorum curæ ſunt commiſſæ admoneat, excommunicationis, quæ à Concilio Tridentino propoſita eſt ijs, qui ſuas Puellas, vel alienas eum ſuſcipere cogunt, vel profiteri Religionem, profeſſio autem ſicut omninò fieri debet, ſic antè decimum ſextum annum expletum, & annum Probationis poſt ſuſceptum habitum facta, nullam poterit obligationem inducere, & cùm tempus aduenerit, quo Nouitia profeſſura ſit, Archiepiſcopum, vel eius Vicarium Generalem teneatur Præfecta Monaſterio, antè menſem certiorem facere, vt vel ipſe, vel ſi is abeſt, aut impeditur, alius, cui ille id negotij demandabit, Nouitiæ voluntatem cognoſcat, eique demonſtret, quam grauis

uis ea res ſit, quanta requirant illa tria Vota, quæ non ſolùm emittere, ſed obſeruare debebit, vt antequam ad Profeſſionem ea recipiatur; vinculi quo ſe vult obſtringi vim intelligat, quod ſi Præfecta id facere neglexerit eiuſdem Concilij Tridentini Decreto grauiori mulcta ab Archiepiſcopo puniri poſſe animaduertat.

C A P. I V.

NOuitia non examinetur intrà Monaſterij ſepta, ſed vel ad crates, vel in publica eiuſdem Monaſterij Eccleſia, vt liberè, & fidenter ſuam exprimere poſſit voluntatẽ, & quoniam quæ Moniales profeſſione facta velum ſuſceperint, quotidiè ſuæ religionis Officium recitare debent, nulla ſine Archiepiſcopi, vel eius Vicarij Generalis permiſſu ad Profeſſionem admittatur, quæ congruè legere, & Officium dicere neſciat, vel ediſcere non valeat. Profeſſionis autem & diei, & anni, quo facta eſt, in libro ad eum vſum confecto, memoria conſeruetur, adhibita etiam ſubſcriptione eius, quæ Profeſſa ſit, ſi modò ſcribere ſciuerit, vel ſaltem illius Superioris, qui eam ad Profeſſionem admiſerit.

C A P. V.

SAcris Officijs pio animi affectu in Choro celebrandis omnes interſint Moniales, illis ſolum exceptis, quarum Præfecta iuſti impedimenti excuſationem acceperit, cui fas ſit graues pœnitentias illis imponere, quæ ad ſacrà recitanda Officia vocatæ abſque legitima cauſa renuerint venire; Orationem mentalem ſaltem per mediam horam poſt Officium de mane, & per alteram mediam horam poſt Completorium vnoquoque die faciant, vitam, doctrinam Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & eius ſancta myſteria, Paſſio-

nem videlicet, Mortem, Reſurrectionem, Aſcenſum in Cælum, extremum aduentum ad Iudicium, Beatorum gloriã, & damnatorum ſupplicia ſtudioſè meditantes, & Deum Creatorem, Conſeruatorem, & Redemptorem mundi ſupplicare non deſiſtant, vt ſuam miſericordiam omnibus hominibus ad ſalutem impertire dignetur, diebus Feſtis, vt otium, à quo mala omnia oriri ſolent euitetur, tẽpus quod à diuinis Officijs, & conſuetis orationibus ſuperfuerit, in aliqua ſancta lectione conſumant, quæ ad Dei, & ſui ipſius cognitionem eas ducat, ab inanium autem librorum lectione, quæ mentes corrumpit penitus ſe abſtineant.

CAP. VI.

VT omnis priuata rerum poſſeſſio, quæ ſacri Concilij Decretis prohibetur non ſolum re, ſed etiam verbo tollatur, omnes Monaſterij prouentus cuiuſcumque ſint generis, eleemoſynæ etiam, & quæſtus, ad communem Monaſterij vtilitatem conferantur, Præfecta verò pro ſua prudentia, & humanitate ex illis ipſis bonis eius neceſſitati potiſſimum conſulat, ad quam pertinetent, niſi obſtaret paupertatis votum, & ad euellendum proprietatis vitium, quod multorum malorum cauſa eſſe poteſt, dona, quæ ſingulis mittantur ad Præfectam adferantur, nec accipi, nec ad vſum adhiberi poſſint, niſi illa ſciente, & conſentiente, quod etiã obſeruetur in muneribus priuato nomine extrà Monaſterium dandis, & bonorum cuiuſuis ſint generis, quæ Monaſterij ſunt communia, nemini fiat elargitio ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna. Nec à terminis Conſtitutionis Vrbani Octaui ſub die 16. Octobris 1640. editæ vnquam recedatur.

CAP. VII.

CLauſura Monaſterij omni cura, & ſtudio communiatur, proſpectus è vicinioribus ædibus in Monaſterii omninò tollantur, implorato etiam ſi opus fuerit Excellentiſſimi, & pijſſimi Principis Ludouiſij auxilio, vt Monialibus ab externorum hominum aſpectu, & auditu liberis, ſecurè per Monaſterium ambulare liceat, intrà ſepta Monaſterij mares, & fęminæ cuiuſuis generis, etiam ſi Monialibus ipſis inſeruiant, vel ſint ætate confecti, nulla de cauſa pernoctare poſſint, Moniales cum nemine vnquam colloquantur ſine licentia Noſtra, vel noſtri Vicarij Generalis in ſcriptis habenda; Patre, aut Matre, Fratre, aut Sorore ipſarum exceptis, quibus non impetrata licentia cum filiabus, & Sororibus tantum colloqui ſit permiſſum, & quibus diebus ſacroſancta Euchariſtia ſumitur, ac ſolemnioribus feſtis, & eo tempore quo diuina Officia in Choro recitabuntur, vel ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium in Eccleſia celebrabitur, Moniales cum nemine prorſus poſſint colloqui, niſi valdè vrgens neceſſitas per Abbatiſſam pro Monaſterij vtilitate iudicanda id poſtulet, litteræ nec recipiantur, nec emittantur, niſi de illis Abbatiſſa certior prius fiat, & quicunque cuiuſuis ſtatus, dignitatis, gradus, conditionis, aut ſexus, intrà Monialium ſepta interdiù, vel noctu abſque legitima licentia ſub quouis prætextu ingredi auſus fuerit, excommunicationis, & alias grauiſſimas pœnas ex Concilij Tridentini Decreto, & Summorum Pontificum Conſtitutionibus ipſo iure incurrere compertum habeat.

CAP. VIII.

CVm Medicus, aut quicunque alius Monaſterij ſepta pro cauſis neceſſarijs erit ingreſſurus, etiam ſi licen-

tiam

tiam à Nobis, vel à Noſtro Generali Vicario in ſcriptis habeat, ipſum tamen ingredientem duæ comitentur Moniales, & ad eius ingreſſum Campanula pro ſigno pulſetur, vt monitæ Moniales recedant, licentia verò non niſi ſub præſcriptis conditionibus ſemper intelligatur eſſe conceſſa; noctis verò tempore ſine vrgenti cauſa à Nobis, vel Vicario Noſtro antè probanda, nemini vnquã Monaſterij Clauſtra patebunt.

Confeſſarij, & Cappellani tantùm, quibus Nos audiendi Monialium confeſſiones, & diuina illis Officia, & Miſſas celebrandi facultatem fecerimus, his ſeſe muneribus ingerant, alijs autem omninò prohibemus ſub pœna arbitrio Noſtro infligenda.

CAP. IX.

ET quoniam loca intus, & foris collocutioni cum Monialibus habendæ attributa, dum ibi fuerint, qui loquuntur, ſemper patere debeant, & quinam ſint loquentes videri poſſint, ideò ſub excommunicationis pœna ipſo facto ab omnibus cuiuſuis ſint ſexus, gradus, & conditionis incurrendæ, interdicta omninò ſit collocutio cum Monialibus ad eam feneſtellulam intrà exteriorem Eccleſiam obſtructam, in qua confeſſiones Sacramentales audire, & ſanctiſſimam Euchariſtiam Monialibus miniſtrare Cõfeſſarius ſolet, ſi qua verò Monialis cum externis, etiam ſi propinquiores fuerint in dicta feneſtellula colloqui auſa fuerit, flagella, diſciplinæ nomine, ibi ſemel adhibere, & humi cibum per tres dies capere ab Abbatiſſa omninò cogatur.

CAP. X.

MOnaſterij Præfecta, ſiuè vt vocant Abbatiſſa, tanquã communis omnium Monialium mater, ipſarum & cor-

corporis, & animæ ſaluti diligentiſſimè conſulat, in primis verò curet, vt pax, & concordia Sororum conſeruetur, ſi verò alicuius importunitas aut re, aut verbo Sororum pacem perturbauerit, acerrimè ab ipſa Præfecta, & ſi opus erit, etiam à Noſtro Vicario puniatur. Præfectæ autem, & eius Vicariæ, quæ illa abſente eius vim, & locum obtinet, quæcunque Monialis obedientiam, & obſeruantiam præſtare neglexerit, aut pœnitentiam ſibi impoſitam adhibere noluerit, aut ſuperbè, & iniurioſè reſponderit, vel eam aliquo modo impediuerit, quominus illas reprehendat, aut caſtiget, quæ aliquid pœnæ dignum commiſerint, grauioribus mulctis, & mortificationibus ab eodem Vicario Noſtro coerceatur.

De Immunitate Eccleſiaſtica. Caput I.

SEcularia iudicia, maximè vbi de ſanguinis effuſione, & pœna corporali agitur, in Eccleſijs earumque cœmeterijs nemo temporalium Iudicum cuiuſcunque ſit gradus vnquam agitet, nec delinquentes ex eis ſub interminatione anathematis extrahere audeat, & ſi quæſtionem ſuper Eccleſiarum immunitate oriri contingat, in huiuſmodi cauſis non aliter, quam iuxtà Conſtitutionis Gregorij Papæ XIV. formam procedatur, & iudicetur; nulli etiam Clerico, aut Sacerdoti ſub excommunicationis, & alijs arbitrio Noſtro pœnis, vt ſuprà ſtatuimus, liceat facinoroſos, aut delinquentes homines in Eccleſijs recipere, & ſi delinquentes ipſimet inſtanti forſan periculo ad eas confugerint Nos quamprimum certiores faciant Eccleſiarum earum Rectores, & cuſtodiam ha-

habentes: Regulares verò Breue Sixti V. ſub die 20. Maij de anno 1589. Proregi Neapolitano tranſmiſſum, & ſacræ Congregationis litteras de anno 1602. 11. Aprilis Nuntio pro Sede Apoſtolica tunc temporis Neapoli reſidenti directas omninò ſeruent. Ne priuationis officiorum, excommunicationis, & alias grauiores pœnas in dictis litteris Apoſtolicis appoſitas incurrant.

CAP. II.

MOneant ſæpè inter Miſſarum ſolemnia, & ſæpiùs in confeſſionibus hortentur. Confeſſarij, ſuos quos viderint opportunè admonendos eſſe pœnitentes, vt Eccleſiaſticas perſonas capere carceri tradere, aduerſus ipſas proceſſus formare, eas directè, vel indirectè in Iudicium vocare nullo modo præſumant, nec ab illis etiam ſpontè dantibus, Vectigalia, Gabellas, Collectas, aut alias quaſcunque laicales executiones, & impoſitiones exigere audeant; cum ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda in Bulla Cœnæ Domini à Summis Pontificibus omnia huiuſmodi penitùs vetita ſint, & damnata.

CAP. III.

EIuſdem autem Conſtitutionis diſpoſitioni inhærentes, excommunicationis latæ ſententiæ vinculo innodatos illos omnes tam Clericos, quam Laicos decernimus, & declaramus; qui palàm, vel occultè, vel per ſe, vel per alios Iudices, & Officiales laicos, contra perſonas Eccleſiaſticas, aut Eccleſiaſticam libertatem ſæculare auxilium inuocauerint, aut conſilium, vel auxilium dederint. Si verò Clerici fuerint, qui talia commiſerint, illos vltrà dictam excommunicationem, fructibus Eccleſiaſticis in pauperes erogandis

per

per biennium priuamus, ita vt conſcientia tuta eos ſibi retineri non liceat.

CAP. IV.

OMnibus etiam, & ſingulis in noſtra Diœceſi commorantibus præcipimus, eoſque hac noſtra Synodali Conſtitutione vnica pro trina monitione Canonica requirimus, ac monemus; vt nemo in poſterum quouis modo, aut quæſito colore Officiales noſtros, & Archiepiſcopalis Curiæ ſeruientes, vel ipſorum aliquem, quominus iuriſdictione Eccleſiaſtica contra quoſcunque iuxtà Canonicas ſanctiones liberè vtantur ſub excōmunicationis latæ ſententiæ pœna impedire, carcerare, vel quomodolibet detinere audeat, vel attentet.

De Foro Iudiciali Noſtro. Caput I.

IN promulgandis Summorum Pontificum Conſtitutionibus, quæ ad huius Diœceſis, & perſonarum Eccleſiaſticarum regimen aliquo modo pertineant, hæc ratio ſeruetur, vt ſi earum peruulgationi præfinitus illis eſt modus, is adhibeatur, ſi verò nullus: ad peruulgationem ſatis ſit affixio facta ad Valuas Palatij, in quo Cauſarum Curia fuerit, cuius affixionis relatio, teſtificatioque ab eo, qui affixerit fiat Magiſtro Actorum fori Archiepiſcopalis, cuius ſit illam, vnà cum ipſarū Conſtitutionum tenore in librum referre, & idem etiam omninò obſeruet in Edictis Archiepiſcopalibus, cum in vnaquaque huius Diœceſis locorum maiori Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia promulgata fuerint.

Digitized by Google

CAP. II.

VT omnes ſciant quid quibus cauſis, & pro ſingulis prouiſionibus Mercedis nomine ſoluendum ſit, & omnis auaritiæ à noſtris Officialibus procul arceatur ſuſpicio, ac hominibus etiam malè loquendi occaſio tollatur Taxam omnium, ac ſingulorum fori noſtri Actorum, & Decretorum à Nobis confectam, in aliqua Tabella antè fores Cancellariæ noſtræ perpetuò affixam pendere mandamus, vt quid ſua interſit omnes inſpicere poſſint. Quicunque verò noſtræ Curiæ Officialis, ſiue Iudex, ſiue Magiſter Actorum, aut Scriba, vel Notarius, eius fines in recipiendo exceſſerit omnia reſtituere compellatur, & officij priuatione arbitrio noſtro puniatur. Habeat etiam Actorum Magiſter librum, in quo mercedes ex cuiuſcunque cauſæ ciuilis, vel criminalis ſcriptione, actione, ac proceſſu acceptas exſcribat, ijs ipſis certis ſingulis Menſe, & Anno notatis, quibus illæ mercedes, aut earum partes receptæ fuerint, nulli vnquam Originales Proceſſus deferãtur, vel accõmodentur, ſed eorum tantum exempla fideliter collata; Pupillorum autem, & Viduarum, qui verè pupilli, & viduæ ſunt, ac miſerabilium perſonarum, mercedis item, & eas, quæ ſumma trium ducatorum non excedunt, cauſas ſummariè, ſimpliciter, & de plano ſola facti veritate inſpecta, ordine Iudiciorum etiam non ſeruato, terminari ſancimus.

Eligatur prætereà Depoſitarius apud quem mulctæ omnium delinquentium, ac inquiſitorum cum noſtro Procuratore Fiſcali compoſitiones factæ deponantur, à quolibet dati, & accepti conficiatur, & illius rationes, ſeù computa reddita fidem nullam habeant, quæ noſtro, vel Vicarij noſtri Generalis ordine, vel mandato inſcriptis exhibendo non ſint comprobata, vt pœnas omnes, quas noſtri

per-

perſoluerint ſubditi pios in vſus erogatas fuiſſe clarè innoteſcat.

CAP. III.

FRequentibus Clericorum, & aliorum Eccleſiaſticorũ cuiuſcunque gradus, & ordinis, quos in foro ſæculari examinari ſæpè contingit, periculis vt quantum fieri poterit occurratur, Vicarius Noſter Generalis eius examinis facultatem nunquam concedat, niſi rerum de quibus in eo foro interrogationes, quæſtioneſuè inſtituendæ ſint, capita priùs viderit, & matura deliberatione perpenderit, vbi verò illam aliquando dandam eſſe iudicauerit, tunc certis capitibus, nominatimque in ſuis litteris explicatis, eam concedat, relaxetue, at ſemper à Sacerdote iuſiurandum ei, qui examinandus eſt deferri iubeat.

De Archiuio.

ARchiuium Archiepiſcopale ſtatuatur, in quo non ſolùm ſcripturæ ad menſam Archiepiſcopalem, & Prælatum ſpectantes, verum etiam illæ omnes, quæ omnium Eccleſiarum, & Piorum locorum in noſtra Diœceſi iura, & actiones continent, diſtinctè, & ſeparatim conſeruari poſſint confecto omnium, & ſingularum ſcripturarum manu publici Notarij Inuentario, ibidemque diligenter cuſtodito, à prædicto autem Archiuio nulla originalis ſcriptura extrahatur, niſi aliter vrgens neceſſitas facere coget, quo caſu Notarij, & teſtium fides adhibeatur, qui in Inuentario prædicto diligenter id deſcribat, notatis die, menſe, & anno, cui, & cuius gratia prædicta ſcriptura fuerit conſignata, & nihilominus eiuſdem ſcripturæ exemplum authenticum penès Archiuium

retinendum fieri mandamus, Archiuium etiam prædictũ duabus clauibus claudatur, quarum vna per Archiepiſcopum, vel Vicarium Generalem, altera per Archiuiſtam à Nobis deputandum detineatur, Sede verò vacante, ea quæ in Archiepiſcopi, vel Vicarij Generalis cuſtodia erat, penès Capitulum Eccleſiæ Metropolitanæ cuſtodienda remaneat, ſeruata forma Conſtitutionis fęlicis recordationis Xyſti Papæ V. quæ incipit, *Prouida, &c.*

De Vicarijs Foraneis.

VIcariorum Foraneorum Officium erit Clericorum diſciplinam ſingulis in locis nomine noſtro promouere, curabunt præſertim omni diligentia, & ſtudio, vt ea omnia, quæ in Viſitatione Generali, & in his Synodalibus noſtris Conſtitutionibus ſancita ſunt à Parochis, & ab alijs ad quos ſpectat executioni demandentur.

Curent vt Feſti dies debito in honore à populo habeãtur, vt pueri Doctrina Chriſtiana imbuantur, Agonizantibus præſto ſint Sacerdotes, Caſuum Conſcientiæ habeantur congregationes, & Pupillorum, & Viduarum, & Pauperum perſonarum, necnon Piorum locorum præcipuè protectores ipſi ſint.

Cauſas ciuiles, quæ ſummam ducatorum trium non excedunt ſummariè, vt ſuprà ſanciuimus ipſi quoque terminent. Vltrà prædictam ſummam in cauſis ciuilibus ſine noſtra ſpeciali commiſſione non ſe intromittant.

Delicta cuiuſcunque generis contra ſacrorum Canonum, & Synodalium noſtrarum Conſtitutionum tenorem commiſſa, diligenter inquirant, & Proceſſus conficiant. Nos autem de omnibus ſtatim certiores faciant, neque

No-

Nobis, ſeù noſtro Vicario Generali inconſultis ad cauſarũ criminalium expeditionem deueniant.

Si in capiendis delictorum indicijs negligentes fuerint, aut amicitiæ gratia, vel munerum, clauſis (vt aiunt) oculis delicta impunita ſinant abire, officio priuentur, & alijs arbitrio noſtro pœnis afficiantur.

De litteris Monitorialibus. Caput I.

MOnitiones ad finem reuelationis nunquam à Tribunali noſtro concedantur, niſi pro re, quæ criminoſa non ſit, nec infamiæ notam inurat, nec ad inſtantiam excommunicati, vel publici peccatoris, nec infrà ducatos quinque. Ad fulminationem verò nunquam deueniatur, niſi conſtiterit priùs de intereſſe oratoris, re diligenter examinata, & à Vicario noſtro Generali reuelationibus optimè viſis, & conſideratis, in ipſis autem Monitorijs infraſcriptæ ſemper apponantur, vel ſubintelligantur appoſitæ clauſulæ. Primò dummodo petentis in ducatis quinque interſit. Item, quod habeant vim contra perſonas quas omninò ignorat; tertiò, quod ſuper expoſitis nulla lis pendeat, nunquam tamen concedantur à die Vigiliæ Natiuitatis Domini, vſque ad diem Circumciſionis, nec à die Sabbati Paſſionis Domini, vſque ad diem Dominicæ in Albis incluſiuè, nec in ſanctiſſimis diebus Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes, & celebritatis ſacri Corporis Chriſti.

CAP. II.

REuelationes, ſi quas habuerit Parochus ad Nos ſuo ſigillo obſignatas tranſmittat, nunquam autem parti eas concedat ſub carcerationis, & alijs noſtro arbitrio pœnis;

Digitized by Google

nis; Cancellarius autem, ſiue Actorum Magiſter reuelationum copiam ſi contineant infamiam nullo modo tradat. Semper autem illas concedat cum clauſula, quod non poſſit niſi pro ciuili intereſſe, & ciuiliter tantum agi, & aliter reuelatio ipſa nec in Iudicio, neque extra fidem faciat. Immò Vicarius noſter Generalis excommunicationis latæ ſententiæ pœnam parti imponat, & Iudici præter nullitatem actorum, ſi reuelationibus ipſis in cauſa criminali vtatur.

De Caſibus Reſeruatis.

SAcri Concilij Tridentini Decretis inhærendo, vt à quibuſdam grauioribus peccatis fideles noſtro Regimini ſubiecti magis abſtineant, ex antiquo maiorum inſtituto. Caſus infraſcriptos Nobis reſeruamus, & illorũ abſolutionem ſub excõmunicationis, & alijs in Decreto ſacræ Congregationis ſuper Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium contentis pœnis omninò prohibemus.

1 Blaſphemiæ omnes hæreticales, & quæ aliquo modo hæreſim continent, & blaſphematores ex praua conſuetudine.

2 Incantationes, ſuperſtitiones, & ſortilegia cum inuocatione, vel pacto tacitis, vel expreſſis dæmonum.

3 Homicidium voluntarium, & Abortus ante, vel poſt fætum animatum, & ſterilitas ſtudioſè procurata.

4 Verberantium Patrem, & Matrem impium crimen.

5 Falſum in Iudicio cum Iuramento in damnum tertij deponentes.

6 Peccatum contra naturam inter Clericos, & cum Clericis, & inter coniuges tantum, & beſtialitas vltrà primam vicem repetita.

7 Con-

Digitized by Google

7 Concubinarij vltrà ſex menſes.
8 Inceſtus in primo, vel in ſecundo affinitatis, aut conſanguinitatis gradu.
9 Qui ad Curiam Criminalem Vaſſallos, & Subditos noſtros laicos terrarũ Sanĉti Andreæ, & Sanĉti Mennæ pro cauſis Ciuilibus, & mixtis delaturi, & accuſaturi confugiunt.
10 Notarij non reuelantes intrà duos ſaltem menſes teſtamenta, legata, & alias quaſcunque diſpoſitiones ad pias cauſas, & omnes illorum executiones directè, vel indirectè impedientes.
11 Omnes votorum commutationes, iuramentorum, & irregularitatum diſpenſationes, & ſuſpenſionis, ac interdicti abſolutiones.

De Officio Examinatorum.

Examinatores Noſtri Synodales expreſsè caueant, ne aliquid ab examinandis, vel examinatis petant, aut etiam à ſpontè dantibus accipiant, pœna illis ſtatuta, quæ ſimoniacos manet. Et antequã examinandi officium ſuſcipiant in manibus noſtris, aut Noſtri Vicarij Generalis iuramentum præſtent, ſe nullam perſonarum acceptionem habituros, nec aliquid amicitiæ, vel ſanguini, aut carni conceſſuros fore, eorumque officium vſque ad alterius Synodi celebrationem durabit.

De

De Teſtibus Synodalibus. Caput I.

LAteranenſis Concilij Decreta exequentes, teſtes Synodales eligimus, quorum nomina in Sacriſtia Noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ affixa, & apud Magiſtrum Actorum deſcripta remanebunt, & quia de ſuo munere fideliter exercendo Sacramento ſe adſtrinxerunt, vt non ſolùm nomine, ſed rectis etiam partibus officium ipſum, quod intermiſſum videtur, iuxtà inſtitutum Euthyciani Papæ II. per eos geratur, & contrà iuſiurandum præfatũ non aberrent, hæc ab ipſis ſeruanda eſſe meminerint.

CAP. II.

IN primis intelligant ſe non amore, non odio, non inuidia, non ſpe, non metu, non præmio, non cognatione, non vlla denique re commoueri, aut impediri debere, quominus liberè, & integrè munus ſuum pro ratione infrà præſcripta præſtent. Quo igitur tempore hoc munus habuerint, ſinguli in ſua regione à perſonis diſcretis, & fide dignis ſolicitè inueſtigent.

An Parochi, Canonici, & alij quicunque Eccleſiaſtici, quos reſidere oportet, in Eccleſijs ſuis præſentes adſint.

An Curatores Animarum fidelium ſibi commiſſorum ſaluti inuigilent, in miniſtrandis Sacramentis, in inſtitutione puerorum ad Doctrinam Chriſtianam, & cæteris curæ Parochialis officijs.

An reliqui cuiuſcunque ſint ordinis Eccleſiaſtici homines, oneribus Eccleſiæ in qua ſunt adſcripti ſatisfaciant.

An Eccleſiæ ſint tectæ, & an ſuppellectili neceſſaria inſtructæ.

An

An Populus in via Domini ambulet, Decimas, & primitias ſoluat.

An in eo ſint Sacrilegi, Blaſphemi, Concubinarij, Adulteri, Inceſtuoſi, Virginum raptores, an Excõmunicati, Hæreſis, Magiæ, vel ſuperſtitionum ſuſpecti.

An denique aliæ morum corruptelæ, quæ correctionem, emendationemuè requirant.

Inquirant etiam an Romanorum Pontificum Conſtitutiones, ſacri Concilij Tridentini Decreta, & ab Archiepiſcopis Edicta, vel ſancita obſeruentur ab ijs, quorum intereſt, ſiuè Eccleſiaſtici, ſiuè laici homines ſint.

CAP. III.

QVæcunque verò animaduerterint nullam adhuc, aut non perfectam executionem habuiſſe, vel quæ deprauata correctionem, ſiuè reformationem requirant, ea omnia, & ſingula ad Archiepiſcopum menſe ſaltem antequam ſequentis Synodi dies aduenerit, ordinatim in ſcriptis referant, ac de ijs, quæ retulerint, ac de alijs, quæ Archiepiſcopus interrogauerit, fideliter, ſummaque integritate reſpondeant, prout iureiurando ſanctè adſtricti ſunt.

Et ſi teſtis aliquis Synodalis à proprio domicilio ad aliquem locum pro ſui muneris functione, quædam inueſtigaturus proceſſerit, & pro victu, vel alia occaſione expenſas aliquas fecerit, omnia ipſi Archiepiſcopo ſemper patefaciat, & quod expenderit imò Viaticum, vel ab illis, quorum cauſa id acciderit, vel etiam ab eodem Archiepiſcopo ſi opus fuerit ſe conſecuturum, pro certo habeat.

Cenſuras, & Caſus, partim Summo Pontifici, partim Epiſcopis; ſiue Sanctionibus Pontificijs, ſiue iure Canonum, ſiue Decretis S. Concilij Tridentini, tum quæ ſunt in vſu, tum quæ ſunt abolita, ac etiam Conſtitutionum noſtrarum Synodalium reſeruatos, quos tamen noſtræ Diœceſis Confeſſarijs, in dies magis frequenter occurrere poſſint collegimus, & edimus, ne de illis, quæ ſunt in vſu quiſquam hæſitare debeat, & ſine auctoritate Sedis Apoſtolicæ, aut noſtra facultate aliquem ab ijs Cenſuris, & Caſibus abſoluere præſumat ſub pœnis à Clem. VIII. & Paulo V. Summis Pontificibus ſuper hac materia impoſitis.

Et primò Caſus omnes, & Cenſuræ ex litteris in die Cœnæ Domini quotannis publicari ſolitis, quæ Summo Pōtifici ſunt reſeruatæ; vt eſt videre in ipſis litteris, quarum copiam omnes Confeſſarij habere tenentur.

Ex alijs verò diuerſis Conſtitutionibus Summorum Pontificum.

Vrbanus VI. Conſt. 6.

QVicunque Laicus hominem Eccleſiaſticū relegauerit.

Martinus V. Conſt. 4.

Quicunque ordinis Eccleſiaſtici aliū Eccleſiaſticum ad forum Laicale traxerit, Auxilium, Conſilium, aut fauorem in ea re dederit.

Siſtus IV. Conſt. 3. Cuius extenſio ad extraneos Romam euntes breui etiā receſſuros facta e l per Edictū ſub die 14. Auguſti 1613.

Quicunque de Eccleſijs, & locis ſacris lapides, & alia ornamēta abſtulerit, vel auferenti, ſeruanti, & retinenti auxiliū, ſiue fauorē dederit.

Qui-

Quicunque eos, qui in Romana Curia litigant, aut eorum Aduocatos, vel Procuratores, vel Iudices, Teſtes, aut Notarios per ſe, vel per alios minis affecerit, inuaſerit, verberarit, aut occiderit. eſt in Bulla Cœnæ 12. *Alexander VI. Conſt. 6.*

Qui item eos receptarit, aut fauore adiuerit, hodie eſt in Bulla Cœnæ Domini.

Eccleſiaſtici omnes conuenientes perſonas Eccleſiaſticas coram Iudice laico. *Martinus V. Conſt. 10.*

Quicunque litterarum Apoſtolicarum executionem impedierit, hodie eſt etiam in Bulla Cœnæ Domini. *Leo X. Conſt. 25. Clemens VII. Conſt. 41.*

Quicunque in Duello pugnauerit, Campum dederit, auxilium præſtiterit, aut duello interfuerit. *Adrianus VI. Conſt. 3. Clem. VIII. Conſt. 18. Concil. Trid. vt infra.*

Quicunque in officio ſacræ Inquiſitionis Epiſcopos, & Inquiſitores hæreticæ prauitatis, eiuſque Miniſtris impedierit, aut perturbauerit, conſilium, auxilium, vel fauorem dederit. *Iul. III. Conſt. 11. aut 16. Pius V. Conſt. 82. vel 83.*

Quicunque libros Hæreticorum, vel Hæreticis ſuſpectorum quouis modo legerit, apud ſe retinuerit, impreſſerit, aut venales habuerit. *Paulus IV. Conſt. 49. Alij etiam. Et Vrbani VIII. Conſt. 114.*

Mulier quæcunque Monaſteria, & Domos Regularium Ordinum etiam Mendicantium ingredi auſa fuerit. *Pius V. Conſt. 27.*

Qui in ordine, & Beneficio Eccleſiaſtico conferendo, vel aſſequendo ſimoniacè ſe geſſerit, vel mediator fuerit. *Extrauag. 2. de ſimon. & Pius V. Conſt. 6.*

Monialis à Clauſura exiens, licentiam concedens, comitans etiam, & illam receptans. *Pius V. Conſt. 99. & Greg. XIII. Conſt. 12.*

Eccleſias, aut Beneficia Eccleſiaſtica quæuis palàm, aut occultè, qui retinuerit, aut re- *Pius IV. Conſt. 95. & Pius V. Conſt. 108.*

ceperit in confidentiam.

De Conceptione Beatæ Mariæ Virginis iuxta præſcriptam Conſtitutionem Sixti Quarti, Conſt. 29. Greg. XV. affirmantes, diſputantes, prædicantes, aut aſſerentes, alteram ex oppoſitis ſententijs eſſe falſam, vel hæreticam, aut impiam, &c.

Pius V. Conſt. 26. Exigentes Gabellas à Regularibus, & illos exẽptos à quacunque contributione, ac etiam illorum bona, & Colonos, quicunque non dimiſerit.

Paulus ſecundus. Pius ſecundus. Pius Quintus. Pius Quintus. In Regno Neapolitano recipientes homicidas, & exules Romanæ Eccleſiæ, item protegentes, auxilium, fauorem, & conſilium eis quouis quæſito colore dantes.

Greg. XIII. Conſtit. 1. Qui Agnos Dei à Summo Pontifice conſecratos depinxerit, aliquo colore infecerit, minio notarit. Item qui venales propoſuerit.

Greg. XIII. Conſtit. 22. & Clem. VIII. Conſt. 10. Qui pro gratia, vel iuſtitia obtinenda in Curia Romana aliquid pepigerit, dederit, acceperit.

Greg. XIII. Ingrediens Monaſteria Monialium contra formam Conſtitutionis 28.

Bulla Greg. XIV. & Decreto Clem. VIII. incipien. Sacra Congregatio. Quicunque aliquem, qui ad Eccleſiam confugerit, facultate ab Epiſcopo non impetrata extraxerit ab ipſa Eccleſia.

Pius IV. Conſt. 91. Greg. XV. Conſt. 34. Non reuelantes Sacerdotes in Confeſſione ſacramentali, vel eius occaſione ſollicitantes ad turpia mulieres, & vt latiùs.

Greg. XIII. Conſtit. 31. Clem VIII. Conſtit. 81. & Vrbani VIII. Conſt. 89. Extenſiua ad Minores. Qui ad ordinem Presbyteratus non promoti Miſſas celebrare, aut Confeſſiones ſacramentaliter audierunt.

Siſtus V. Conſt. 7. Exercentes Aſtrologiam Iudiciariã circà Summum

mum Pontificem, & conſanguinos vſque ad tertium gradum. *Vrbanus VIII. Conſt. 123.*

Sacerdotes quicunque vtentes Miſſis prohibitis à ſacra Rituum Congregatione. *Ex Decreto ſub die 8. Aprilis 1628.*

Vltramontani omnes, ac etiam Itali promoti cum falſis Dimiſſorijs, vel alias non ſeruata forma. *Conſt. Vrb. VIII. ſub die 11. Decembris 1624 quæ incipit Secretis Diuinæ Prouidentiæ.*

Habentes, & legentes Thalmud, & alios libros prohibitos. *Clem. VIII. Bulla incipit Hebræorum militias.*

Cenſuræ autem, & Caſus ex Canonibus Decreti, & Decretalium reſeruata Apoſtolicæ Sedi ſunt, videlicet.

QVi ſuadente diabolo manus violentas in Clericum iniecerit excommunicatus eſt, etiam ſi Clericus prima tonſura tantum ſit inſignitus. *Can. Si quis ſuadente 17. q 4.*

Etiam ſi occultus ſit. *6. Porrò, de ſent. excomm.*

Qui huius rei conſilium, auxilium, aut fauorem præſtiterit. *C. Mulieres, de ſent. excom.*

Item qui Monaco manum violentam iniecerit etiam ſi Religionis ſit Conuerſus. *d. C. ſi quis, & C. de Monialibus eod. tit.*

Imò etiam ſi Monachus ſit tantummodo Nouitius. *C. Religioſo, §. Quamuis, eod. tit. in 6.*

Idem eſt in Moniali etiam Conuerſa. *C. de Monialibus extra, de ſentent. excomm.*

Qui in cuſtodia publica, priuatauè Clericum, etiam ſine leſione corporis detinuerit, aut in vinculo detruſerit. *C. Nuper, de ſent. excomm.*

Quicunque iniectionem violẽtæ manus in Clericum, aut Monachum factam, ratam habuerit. *C. Cum quis, eod. tit. in 6.*

Qui

C. Cùm ingit, in l. de ſent. excom.

Qui in Clericum etiam volentem, & conſentientem pro ſatisfactione offenſæ, laico factæ manus violentas, aut iniurioſas iniecerit.

Cap. Significauit, eod. tit.

Clericus, qui ſcienter, & ſpontè in Diuinis participat cum excommunicatis à Papa.

Cap. Nuper, eod. tit.

